This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
26
80

2c 26.80

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 24 Dec., 1889.

9571

QUAESTIONUM CATONIANARUM

CAPITA V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA-AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

Johann) **PAULUS WEISE**

BARMENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXXVI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA SCHMIDTIANA HELMSTADIENSIS.

Sc 26.80

Constantius Fund.

Carolo Dilthey

Hermanno Sauppe

S.

Sc 26.80



Constantius Fund.

Carolo Dilthey

Hermanno Sauppe

S.

Catonis liber de agricultura postquam in Keilii editione novam quasi vestem induit, operae pretium videtur quaestionem, cui iam multi homines docti operam dederunt, cum, quin multa falsa statuerint, dubitari nequeat, iterum tractare, utrum Catonis libri de agricultura forma, quam nos habemus, genuina et ea sit, in quam a Catone ipso redactus est, nec ne. Cui quaestioni adhuc operam dederunt: Pontedera et Harles cf. scriptores rei rusticae ed. Schneider tom. I. part. I. J. M. Gessner, scriptores rei rusticae, ed. II Lipsiae 1773, tom. I, praef. p. 1 sequ.; cujus sententiam secuti sunt: Schneiderus scriptores rei rust. I, 2 p. 6 sequ. J. C. Bähr, hist. litter. Rom. ², p. 701. G. Bernhardy. adumbr. literat. Rom, p. 322.

Retractavit deinde rem iudicio non interposito: J. H. van Bolhuis, diatribe litteraria in Catonis scripta et fragmenta. Traiecti ad. Rhen. 1826 p. 176 cuius libellum nancisci non poteram, sed teste Keilio obss. crit. in Cat. et Varr. p. 66 de veritate sententiae Gessnerianae dubitasse non videtur. Quos omnes vehementissime impugnat R. Klotz. annal. phil. et paedagog. nov. supplem. X (a. 1844) p. 5—73 cf. etiam eiusdem hist. lit. lat. p. 22. sequ. cui denuo adversarius extitit. H. Keilius. l. c. p. 65 sequ. assentientibus Bernhardyo histor. lit. lat. 4. 1865 p. 842—46. Ribbeckio mus. nov. Helvet. I.

Sc 26.80

Constantius Fund.

Carolo Dilthey

Hermanno Sauppe

S.

forensi illud iam protulisse dicat linguae genus, quod postea pure et emendate loqui vocabant.

Quare cum liber de agricultura plenus sit omnium earum rerum, quae cuique sermoni vulgari propriae esse soleant, in hoc libro sermonem vulgarem, in reliquis sermonem urbanum agnovisse sibi videtur. Sed ipse in proximis verbis dicit Catonem nulla re caruisse nisi politissima doctrina transmarina atque adventicia, cum hac demum doctrina, quae maxime a Scipionibus colebatur, paullatim ea sermonis Latini forma orta sit, quae postea urbana nominabatur. Hoc sine dubio Cicero in animo habebat, cum Caecilium et Pacuvium male loqui, C. Laelium et P. Scipionem optime diceret. Neque tamen credendum est, Catonem, qui Graecos, quippe quorum moribus levibus et lascivis vetusta Romanorum gravitas et severitas corrumperentur, vehementissimo cum odio persecutus est et omni modo contra Scipionum reliquorumque Graecistarum studia consuetudinem vetustam servare studuit, hanc recentiorem sermonis rationem secutum esse. Hoc eo confirmatur, quod permulta, quae linguae vulgaris propria sunt, et in libro de agricultura et in fragmentis, partim etiam saepius in fragmentis quam in libro de agricultura inveniuntur, ut infra saepius data occasione cognoscemus. Falso igitur Dietzius disputat res sermonis vulgaris proprias abundare in libro de agricultura, cum in reliquorum librorum fragmentis reiectae sint tamquam in certos fines et artiora vincula.

Quae cum ita sint, si inter librum de agricultura et fragmenta discrepantias inveniemus, quae ex diversis argumentis explicari non possunt, dicendum est illius libri formam aliquo tempore mutatam esse. Quod enim Cicero Catonis eloquentiam summis laudibus tollebat eamque cum oratorum Atticorum eloquentia conferebat

cf. Brut. XVI, 63 sequ., hoc magis patriae amore effectum esse quam veritati respondere inde efficitur, quod Brutus eum irridet et de Catonis orationibus dicit: significant enim formam quandam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. cf. Brut. LXXXV, 293 sequ. Denique Dietzius concedit praefationem emendatiore scriptam esse sermone quam librum ipsum et singula libri capita in dicendi genere paullulum inter se discrepare, cum alia accuratius, alia neglegentius composita sint, alia sermone paullo antiquiore, alia paullo recentiore. Maxime inter prima libri capita et extrema, ut 5 et 144 differentiam quandam sermonis, qualis ex perfectiore componendi arte tantummodo oriri potuerit et linguae progressu, sane conspicuam videri. Quare Dietzius statuit librum de agricultura non uno tenore scriptum esse, sed quae maxime essent in rebus rusticis servanda praecepta, cum paullatim iuvenis vel vir sibi annotasset, postea senem multarum rerum peritum in ordinem quendam redegisse atque contulisse in unum librum, librum ita confectum praefatione instruxisse. Qua sententia ea, quae in Catonis libro, quem nos habemus, offensioni sunt, nullo modo explicantur, nam deest ordo quidam, repetuntur saepius eadem, discrepat sermonis ratio. Accedit quod Catonem omnino libris scribendis operam dedisse scimus grandiore demum aetate, qua non iam negotiis publicis retinebatur atque otio sese dederat; denique eo refellitur, quod ex eis, quae Nitzschius diar. antiqu. 1845 p. 493 sequ. exposuit, efficitur, Catonem ad certum fundum respexisse, qui in Campania situs erat. Quod Nitzschii judicium rectum esse opinor, quamquam Reitzensteinius. de scriptorum rei rusticae, qui intercedunt inter Catonem et Columellam libris deperditis. in sententiis controversis dissertationi adiunctis

statuit librum non de uno quodam fundo, sed ut in vulgus ederetur, scriptum esse. Spero eum sententiam suam argumentis probaturum esse, ut verum cognoscatur. Quamquam enim liber de uno quodam fundo scriptus erat, tamen tamquam descriptio optimi fundi in vulgus edi poterat. Ceterum Reitzensteinius ipse p. 6 sequ. sententiam suam reprobat, nam quod Cato duas formulas de familia tradit, unam de oliveto, alteram de vinea instruenda, premendum non est. Neque enim intellego, cur non haec praecepta colligens de uno Manliorum fundo data occasione alia addere potuerit, quae quamquam ad illum fundum non pertinebant, tamen, quae commemorarentur, digna erant. Itaque verisimilius est Catonem certo temporis puncto, fortasse ut fundi illius possessorem vel vilicum instrueret, hunc librum conscripsisse quam paullatim. Denique quantum ex Ciceronis libro de senectute colligi potest, ille et ipse Catonem in senectute demum de agricultura scribentem sibi finxit, adde quod Reitzensteinius l. c. 1, not. 1 recte notat.

Quare si nos quoque discrepantiam sermonis invenimus, hanc alio modo explicare conari debemus.

Ac primum quidem ut tandem ad rem ipsam tractandam transeamus, eam orthographiam et scribendi rationem, quae nunc invenitur in Catonis libro de agricultura eademque in fragmentis, posterioribus temporibus irrepsisse nec genuinam esse iam Julius Pontedera cognovit. Videndum igitur est, quantopere vetusta scribendi ratio mutata sit, deinde utrum illae innumerabiles mutationes librariis imputandae sint an in Catonis verborum ordine omnes vetustae formae per grammaticos expulsae sint.

Pars I.

De ratione scribendi.

Exitum genitivi locativi dativi singularis et nominativi pluralis primae declinationis olim ai fuisse constat. In Catonis libro de agricultura nullum extat vestigium exitus ai neque in fragmentis, cum apud Plautum et Ennium compluribus locis restitutus sit saepissimeque inveniatur apud Lucretium, Neue I, 2, 11 sequ. In inscriptionibus invenitur diphthongus ai inde a temporibus antiquissimis usque ad imperatorum tempora semper fere in genitivis, dativis, locativis singularis (locos collegit Corssen I ², 677) rarius in nominativis pluralis primae declinationis et in nom. acc. plnr. neutr. pronominum. (Corssen I ², 680). Sed diphthongus ae quoque iam in inscriptionibus antiquissimis invenitur, ut C. J. L. I, 538, 181 a. C., unde recte Corssen collegit, temporibus belli Syriaci et Macedonici incertam fuisse pronuntiationem inter ai et ae. quae cum ita sint, quia apud Catonem nullum extat vestigium scribendi rationis ai, quod certe factum esset, si ea usus esset, cum haec scribendi ratio ne imperatorum Romanorum quidem temporibus plane inusitata esset, sumendum est eum semper ae scripsisse neque in hac re quidquam mutatum esse.

In secunda declinatione pristinos exitus nominativi singularis fuisse —os, —om, genitivi pluralis —orom, —oro vel—om, —o constat, quod idem quadrat ad genitivi pluralis primae declinationis exitum —arum, qui olim —arom, aro fuit. Corssen II, 90. Cum vero Ritschelius et Mommsenius (Corssen II, 90) demonstraverint o voca-

lem in u mutatam esse inde a temporibus primi usque ad finem secundi belli Punici neque in senat. cons. de Bacc. ullum inveniatur o, efficitur recte in Catone omnibus locis vocalem u tradi. Nam quod nominativus apiacon extat r. r. 157, 2, ibi Keilius Plin. XIX, 136 secutus apiaca recte coniecit.

Contra o vocalis usque ad Augusti fere tempora (Wagner, orthogr. Verg. p. 451, Corssen, I ², 73. II, 97 sequ. Neue I ², 65 sequ. Brambach, p. 87 sequ.) servata est, si ei antecedebat vocalis u vel semivocalis v. Recte igitur se habet accusativus aequom, quem r. r. 146, 3 optimi codices confirmant. Altera vero scriptura aecum, cuius vestigia extant frg. 64, 6 ap. Gell. IX, 12, 7 ap. Non. p. 168, ubi aecum exhibent Gellii fragmentum Bernense et Lugdunensis, Nonii Vossianus et Harleianus manu prima, et oblicum, quod omnes libri manuscripti exhibent r. r. 40, 3 Caesaris demum temporibus in libros manuscriptos irrepsisse potest. Quocirca in libro de agricultura Catonis aetatis rationi scribendi non respondent hae formae: strenuum praef. servum 2, 7. mutuum 5, 3. ervum 27. suum 31, 2. novum 39, 2. suum 48, 1. acervum 50, 2. perpetuum 52, 2. tempestivum 54. triduum 70, 2. ovum 71. 75. 84. 85. 106. cavum 80. novum 87. 108. biduum 88. 96. 112, 2. 162, 3 triduum 96. 112, 2. 112, 3. alvum 114, 1. 2. 115, 1. 2. 125. 156, 1. 2. 157, 6. 158. alvus 126. 157, 7. quadriduum 128. ervum 156, 3. cavum 161, 1. Secundum eandem regulam pro forma c u m et coniunctionis et praepositionis, quae permultis locis libri de agricultura exhibetur (r. r. 1. 17. 19. 28. 31, 2. 38, 2. cet.) substituenda est forma quom, quae re vera in codicibus traditur praef.: 2. 1. 23. 25. 28, 1. 2. 29 cet.

Denique cap. 22, 2 P. tradit deorsom, deorson c. deorsum A. b. v. deosum 162, 1. PA. deorsum R. v., at c. 114 seorsum sine discrepantia scripturae, item 105, 1. Ex eis, quae supra disputata sunt, concludendum est hanc formam mutandam esse in deorsum, quod loco altero et tertio confirmatur. Neque enim, quamquam in inscriptionibus saeculi sexti singulae formae extant, quae o vocalem servarunt, verisimile est Catonem unquam talibus formis usum esse. Certe ex hac una voce colligi nequit Catonem semper o vocalem servasse quia omnia, quae inscriptionibus confirmari possunt, obloquuntur. Deinde agendum est de genitivo vocabulorum secundae declinationis, quae ita comparata sunt, ut nominativi singularis exitui — us i vocalis antecedat. Satis certum est ex eis, quae permultis locis de his genitivis disputata sunt, cf. Corssen II ², 696 Romanos usque ad Propertii aetatem genitivos et nominum propriorum et substantivorum in —ius vel —ium exeuntium ita formasse, ut exitus i cum suffixi vocali i in unum contraheretur, id quod et inscriptionibus (vide exempla apud Corssenium) et apud poetas metro et grammáticorum testimoniis satis confirmatur. Atque apud Catonem genitivi in i exeuntes extant hi: Lavini frg. 13, 17 auspici 81, 4 sed totus locus obscurus est; triennii r. r. 5, 6 preti r. r. 14, 5. mortari 22, 1. viti 107, 1. torculari 13, 1. L. Manli 145, 2. 144, 2 bis. negoti 156, 4. Rufri 22, 4. 135, 2. Quorum numero longo minor est numerus eorum, qui in ii exeuntes in libris manuscriptis traduntur, nimirum Lucii Mamilii frg. 9, 1. fluvii frg. 15, 7 alii 70. dolii 162, 1. quos omnes ita a Catone scriptos esse non posse ex eis, quae supra disputavimus, efficitur.

In genitivis singularis eorum secundae declinationis

vocabulorum, in quibus stirpis exitui i vocalis non antecedit, diphthongus oi, quae genuinus exitus erat, iam antiquissimis temporibus in i mutata est cf. Bücheler p. 70. In compluribus vero inscriptionibus invenitur genitivi singularis exitus ei cf. Neue p. 84 sequ. Bücheler p. 70. Sed quoniam inscriptio vetustissima, ubi hic exitus extat, titulus Mummianus est, qui anno a. u. 608 = a. C. 145 lapidi insculptus est, elucet eos genitivos, quales apud Catonem leguntur in i exeuntes, recte se habere. Aliter res se habet in nominativis, dativis, ablativis pluralis et simplicium secundae declinationis vocabulorum et eorum, quae stirpi suffixum — io — adiungunt. Etenim hi casus in omnibus et fragmentorum et libri de agricultura locis sine ulla discrepantia in — i — vel — ii et — is vel — iis exeunt excepto ablativo negotis fragm. 60, 4. Cum vero vetusti exitus — ei vel — iei et — eis vel — ieis, quos Corssen I, 750, 759, 760 permultis inscriptionum locis confirmat, demum inde a Gracchorum tempore cum recentioribus — i vel — iis et — is vel — iis commutari coepti sint, qui circa Christum natum demum apud omnes usitati facti sunt, dubitari non potest, quin similiter atque ex Plauto (Corssen II ^{2}, 700) ex Catonis quoque verborum ordine omnes hae formae expulsae sint. Idem quadrat ad dativos et ablativos vocabulorum primae declinationis.

In declinatione tertia quod attinet ad rationem scribendi, tractandi sunt nominativi et accusativi pluralis. Constat multum cogitasse veteres grammaticos de nominativis et accusativis pluralis numeri, qui modo exitum — es, modo exitum — is praebent, ita ut certam regulam sequi non videantur. (Neue I, 2, 246 sequ. Brambach 149 sequ.) Facile dixerit quispiam exitum — is eis vocabulis esse tribuendum, quarum stirps i vocali concludatur, idque

facile cognosci posse ex genitivo pluralis numeri, cum eis, qui — ium exitum habeant, etiam — is sit tribuendum. Sed cum exitus genitivi pluralis — ium per analogiam, quae dicitur, multa vocabula invaserit, quibus omnino non est tribuendus, hanc regulam nihili esse apparet. In accusativo iam Varro et Probus eam reiciunt, de nominativo ille l. l. VIII, 37. p. 440. Speng. dicit: „sine reprehensione vulgo alii dicunt in singulari hac ovi et avi, alii hac ove et ave, in multitudine hae puppis, restis et hae puppes, restes.“ Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, accusativos et nominativos pluralis, qui apud Catonem inveniuntur, accuratius examinare. 1. nominativi: Karthaginiensis frg. 20, 12. ap. Gell. X, 1, 10 (Reg. Vat. Carthaginenses Lugd. Kartaginenses Petav.) tris frg. 71, 3, ubi lacuna antecedit, ita ut dici non possit, utrum tris nominativus pluralis nominis numeralis an reliquiae nominativi alius vocabuli sit an omnino nullus nominativus antecesserit. Contra in —es in frgg. hi nominativi exeunt: homines p. 3, 12. complures 8, 5. 44, 2. Ligures omnes fallaces 9, 9. mendaces 9, 10. legiones 14, 3. redeuntes 15, 6. cohortes 17, 1. milites 17, 3. exules 21, 6. Rhodienses 23, 6. 12. priores 24, 2. obiectantes 25, 3. boves 26, 8. vires 27, 2. mulieres 28, 13. 29, 3. cultores 30, 1 (?) censores 36, 12. maiores 39, 3. 59, 7. cives 39, 6. praetores 50, 1. vociferationes 51, 14. aedes 55, 9. aures 56, 2. pares 62, 4. testes 62, 5. milites (voc.) 63, 1. Quirites (voc.) 63, 6. 8. quamplures 64, 1. remiges 66, 5. cives 66, 5. Siticines, liticines, tubicines (?) 68, 10. fures 69, 1. expertes 80, 8. ap. Plin. n. h. praef. 30 (experti Paris. s. IX cum altero 6796) utiles 83, 19. In libro de agricultura inter sexaginta fere nominativos nullus in — is exit. Quae cum ita sint quoniam inter nominativos, quos enumeravi, permulti a vocabulis derivati sunt,

quorum stirpes i vocali concluduntur neque tamen exitum — is praebent ut pares, cives cet. atque exitus — es solus vetustis inscriptionibus confirmatur, dubium esse non potest, quin formae Karthaginiensis et tris, si re vera nomen numerale est, Catonianae non sint. Ceterum cf. de his nominativis Neue I, p. 250.

Aliter res se habet in accusativis pluralis, ubi maior est numerus formarum, quae — is litteris concluduntur, quamquam ne hic quidem omnibus locis scriptura codicum certa est, quin etiam complura vocabula inveniuntur, in quibus modo exitus — es, modo exitus — is traditus est: navis coniectura verisimillima H. Jordanius scripsit frg. 14, 7. frg. 14, 9 apud Priscian. V. p. 171. Hertz ex Karthaginiensis correctum exhibet Halberstadiensis Karthaginienses, Kartaginenses Sang. Chartaginensis Carolir. cartaginensis Lugd. Carthaginienses Reg. hostis frg. 17, 4. frg. 35, 12 hosteis (hostes contra frg. 24, 3. ap. Gell. l. l. § 34 traditum est in Vaticano. hoste Reg. ostes Rott) Rhodiensis 25, 3 cum 23, 4. 6 Rhodienses exhibeant codices; omnis frg. 25, 6 ap. Gell. XI, 3, 2 (omnes Magliab) immortalis frg. 43, 1. In libro de agricultura permulti accusativi in — is traduntur, sed hic quoque multis locis lectio incerta est, cum modo uno eodemque loco codd. inter se discrepent, modo alio loco formam, quae — is litteris concluditur, exhibeant omnes, alio loco, quae — es litteris concluditur, eidem omnes, ita ut quid in archetypo Marciano fuerit, cognosci vix possit. Formae ipsae sunt hae: praesepis 4, 1. 14, 1. tris 10, 1. 2. (altero loco tris P, III A. c; tres b. v.) 13, 2 (tris P, III A c b, tres v.) 18, 9. 115, 2. 127, 1 (tris P A R tres v.) tres contra in omnibus codd. traditur his locis: 5, 3. 38; 40, 4. 43. 57. 70. (III P c. f. tres A, III v. om. b) tres 156. 2. securis 10, 3. 11, 4 (se-

cures V A R) secures 135. forpicis 10, 3. forpices 11, 5. (A. R. Victorius, forcipes V) luntris 11, 5. (P. A. b. c. lintris f., lintres v). constibilis 12 (P. A. R. confibulas v., quod rectius esse videtur) maioris, minoris 13, 2. 14, 2 (P.A. b.c, maiores, minores Jucundus) contra minores 18, 8. 93. bipedalis 14, 2 (P. A. b. c., bipedales v. Jucundus) togalis 14, 2. (A. P. b. tela stogalis c, togales et postea iteratum tedas iogales Jucundus, iogales cod. Laur. 30, 10) trusatilis hispaniensis 10, 4. 11, 4. canalis 18, 5. 18, 8 orbis 20, 2. 135, 6 bis (utroque loco P A R orbes v.) orbes 10, 4. 68. primoris 21, 2. 40, 3. recentis 25 (regentis A R, regentes P. recentes v.) recentes 143, 3. funis 26. 135, 3 (v. funes P A R) funes 2,3. 3, 5. 12. 68. 146, 3. vitis 32, 1. 37, 5. vites 28. 32. 33, 2. 4. 40. omnis 50, 1 (omnis V omnes R om̄sq A) omnes 32, 2. 96. 161, 1. 162 levis 44 pedalis 45 scrobis 27 scrobes 40. 43. denique cratis 48, 2 crates 10, 2. 11, 4,

Quod vero Dietzius l. c. p. 6. disputat r. r. 50 legi omneis, 115, 2 treis, 44 leveis, nunc ex Keilii editione apparet nihil tale in libris mss. inveniri. Omnino vero in hac quaestione de librorum mss. fide et auctoritate idem dicendum est, quod Fr. Ritschelius dicit proll. ad. Trinum XC: Nec e librorum potius memoria, quae propter causam capite I significatam dici nequit quam sibi non constet in hoc genere, quam e rationis probilitate pendere volui in accusativorum scriptura, „aedis, hostis, cinis, auris, mensis, artis, omnis, pluris, venalis“, sed ut non magis quam accusativos „aedes, omnes“ probarem in libris reperta „versus melioris facit“ v. 707 vel nominativos „plerique omnis“ 27, „omnis mortalis“ 212.

Atque quibus maxime ex eis formis, quas enumeravi, exitus — es recte tribuatur in libris mss., quibus exitus

— is, non opus est diiudicare, nam in vetustissimis inscriptionibus (Corssen I, 746 sequ. Buecheler p. 54 sequ.) in accusativis pluralis et eorum vocabulorum, quorum stirps i vocali finitur, et eorum, quorum stirps consonante concluditur, exitus saepius — es est, cum simul exitus — eis inveniatur ut in milliario Popillii anni a. u. 622 a. C. 132, deinde saepius in inscriptionibus posterioribus. Apud Plautum nonnullae formae in — eis exeuntes optimis libris mss. confirmantur cf. Buecheler p. 55. Exitus — is vero et ipse primum invenitur in eodem milliario Popillii, sed omnino in inscriptionibus, quae temporibus rei publicae liberae insculptae sunt, tam rarus est, ut ne triginta quidem exempla ex hoc tempore inventa sint. Quae cum ita sint, recte Buechelerus conclusit, vetustissimum accusativi pluralis tertiae declinationis exitum fuisse — es, qui inde a septimo demum saeculo saepius in — eis, deinde in — is mutatus esset. Nam quod in fratrum Arvalium carmine ‚pleoris' et in columna rostrata ‚claseis Punicas' et ‚copias Cartaciniensis' invenitur, eo magis sententiam grammaticorum imperatorum temporibus florentium confirmari quam rationem scribendi quinti saeculi recte Buechelerus disputat. Accedit quod Jordan. symb. crit. ad hist. ling. lat. p. 193 sequ. argumentis satis gravibus ostendere conatur formam pleoris vel pleores omnino falso per lapicidam, ut qui rectam formam non intellegeret, traditam esse. Corssenius quidem p. 738 sequ. Buechelero oblocutus est et vetustissimam formam in eis vocabulis, quorum stirps in — i exit, — is fuisse disputat, sed iniuria, cum certa lex linguae Latinae sit, ut in locum vetustioris e recentius i succedat cf. Ritschl opusc. II, 622. In Catonis igitur verborum ordine omnibus eis vocabulis, quae supra commemoravimus, exitus

— es vindicandus est, non — eis, quod Dietzius vult. Quod vero apud Catonem nullae formae inveniuntur, quae diversis temporibus usitatae erant, velut apud Plautum, sed omnes certi spatii consuetudinem referunt, iam suspicionem movet veteres formas non paullatim evanuisse, sed eodem tempore omnes expulsas esse.

Similiter atque in accusativo pluralis in dativo singularis varii exitus discernendi sunt. Etenim cum antiquissimis temporibus exitus dativi e fuerit (Buecheler p. 107), quod inscriptionibus vetustissimis confirmatur cf. Neue I, p. 193. C. J. L. I ind. p. 603, col. 2. Corssen I, 726 sequ. (quamquam inscriptionum plurimarum tempus incertum est, tamen aetatis satis vetustae sunt), postea, si Buechelerum sequi licet, hic exitus in nonnullis tantum formulis solemnibus servatus est, ut iure dicundo, Liv. XLII 28, 6. Cic. ad fam. VII, 13, 2 cet. cf. Buecheler p. 108, Neue p. 193 sequ. Schneiderus contra in libro suo de vocum Lat. formatione p. 202 not. valde dubitaverat, utrum re vera hae formae pro dativis habendae essent an potius pro ablativis, quod confirmare conatur nonnullis locis, quibus ablativus audacius adhibetur ut. Liv. XXIV, 27, 3. Tacit. ann. III, 19. ibid. XIV, 4. cui quamvis dubitans adstipulatus est. Neuius I, p. 194 cf. etiam Reisig. praell. p. 86 cum Hasii nota. Atque in Catone quoque ap. Gell. II, 28, 6. frg. 16, 17. J. cf. Peter histor. Rom. frgg. I p. 73 no. 77 in codd. Regio et Vaticano forma lumine tradita et ab Hertzio in verborum ordinem recepta est, quae forma ex sententiarum nexu nihil esse potest nisi dativus (ablativus temporis lumine esse non potest), quod et Jordanius recte intellexit et Peter hist. Rom. frgg. I, p. 73. Quamquam enim in recentioribus codd. forma lumini exhibetur, non dubium est, quin haec nihil

sit nisi correctio librarii, qui formam lumine non intellexit. Neque huic loco haec dativi forma accommodata non est, quia totus sententiarum verborumque nexus, „non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit“ satis ostendit formulam „solis lumine caligo obstat“ solemnem et vetustam fuisse, ita ut Cato ipsius pontificis maximi tabulae verba exscripserit cf. etiam quae Cicero narrat de rep. I, 16, 25 ap. Peter hist. Roman. frgg. I, p. 3 sequ. no. 3. Id certo ex hoc uno loco colligi nequit, Catonem ipsum dativi forma in — e exeunti usum esse. Etenim iam in vestustissimis inscriptionibus dativi exitus ei invenitur praeter exitum e, ita tamen ut formae, quae e vocali concluduntur, frequentiores sint cf. Corssen, I, p. 727, cum inde a bello Syriaco usque ad Caesaris aetatem praecipue exitus — ei extet. cf. C. J. L. I ind. p. 603 col. 3. Corssen p. 728. Nonnullae tantum his temporibus inveniuntur formae, quae exitum e habent eaeque dubiae sunt, nam de formis ‚vetere‘ et ‚procuratore‘ e lege agraria C. J. L. 200 vide Buechelerum p. 107, forma iure e lege repetundarum C. J. L. 198 verisimiliter ablativus est, formae Junone, Pilemone, lictore, victore, fruge, Hercule ex inscriptionibus incertae aetatis desumptae sunt. Sed etiamsi hae formae recte tempori inde a bello Syriaco usque ad Caesaris aetatem tribuuntur, tamen id certe asseverare licet, eis temporibus, quibus Cato libros conscripsit, nimirum saeculo sexto exeunti, vulgo formam — ei adhibitam esse, cum dativi in — i exeuntes demum inveniantur inde a Gracchorum tempore. Corssen. I,730. Neque vero in Catonis libris ullus invenitur talis dativus. In ablativo singularis tertiae declinationis in omnibus libris mss. et eis qui librum de agricultura et

eis, qui fragmenta continent, exitus ablativi partim i partim e est ut omnibus posterioribus temporibus.

In quibus vocabulis contra usitatam rationem i positum sit a Catone, in quibus e, infra videndum erit. Praeter i et e in ablativo singularis usitatus fuit exitus ei, sed hic a Catone sine ulla dubitatione alienus est. Neque enim invenitur nisi in sex inscriptionum vetustarum locis, quas collegit Huebener C. J. L. I. ind. p. 603, col. 4, unde eum omnino raro adhibitum esse efficitur, quo accedit, quod haec exempla omnia ex inscriptionibus post Gracchorum demum tempora lapidi insculptis afferuntur. cf. Corssen I, p. 753 sequ.

Sed alia oritur quaestio difficillima. Etenim in libro de agricultura 156, 3 legitur: „eo indito salis micam quasi ervum et cumini fricti tantum quod oleat.“ quibus in verbis q u o d ablativum esse Bergk. symbol. crit. ad gramm. Lat. p. 58 disputat, quia sensus sit, ut inde oleat. Putat igitur Bergkius, servatum esse in hac forma vetustum illud d, quo olim ablativum conclusum esse constat. In universum conferendi sunt de ablativo Reisig l. c. p. 89 sequ. cum notis Haasii, Schneider l. c. I, p. 227 sequ. Buecheler adumbr. decl. lat. [2], p. 90 sequ. Ritschl. opusc. II, 565. IV, 762, 205, 234. M. Müller. Jahrbb. f. Phil. 1876. 689, 99.

Ex Varrone l. l. X, 62 efficitur Romanos eius aetate i. e saeculo septimo prioris exitus d plane oblitos fuisse. In inscriptionibus vero vetustissimis eisque quae initio saeculi sexti tribuendae sunt, saepissime ablativi in d inveniuntur, ita tamen ut diversorum temporum inscriptiones inter se discrepent. Pariter res se habet cum vetustissimis reliquiis litterarum Romanarum. Ita Bergkius p. 27 ex carminibus Saliaribus ap. Fest. 215 M cf. etiam Jord. symb. crit. p. 211 sequ. citat, p r a e t e t,

ex augurum libris ap. Festum suad, ted, ex duodecim tabulis apud Festum 364, ec concapit ne solvito. Quae in inscriptionibus inveniuntur formae in d exeuntes, eae collectae sunt C. J. L. I ind. p. 603. col. 3, 4. quarum ex ratione recte Corssen. I, 199 concludit, iam tertio ante Christum natum saeculo d ablativi evanescere coepisse et circiter inde a temporibus belli Macedonici secundi formas in vocalem exeuntes usitatas fuisse. Certe iam multo prius in sermone cotidiano d proferri desitum est, quoniam multo diutius in eis, quae litteris mandantur, tales proprietates sermonis servari, maxime in titulis publicis, qui omnibus temporibus vetustum quendam colorum amaverunt, hodie quoque cognosci potest. cf. Bergk. l. c. Cum porro apud Plautum, qui iam anno 184 diem supremum obiit, formae in d tantum adhibeantur, ut hiatus vitetur, ita ut inter 28 ablativos unus inveniatur, cui certe exitum d tribuere liceat, Terentius vero, qui anno 159 mortuus est, his ablativis nusquam usus sit, dubium esse non potest, quin Catoni hae formae omnino abiudicandae sint, ut qui posterioribus demum vitae temporibus, cum otium non iam negotiis publicis perturbaretur, libris scribendis operam dederit et in prosa oratione libros conscripserit, quae non ita ut poetica oratio metri regulis formas vetustas usurpare coacta est.

Itaque iam per se verisimile non est, illud „quod“ ablativum esse, cum in continua narratione inveniatur neque in formula quadam vetusta, ubi saepius formae obsoletae servantur, ut infra legimus imperativum praefamino. Accedit, quod, etiamsi nominativum esse statuimus, optime explicari potest. Quamqam enim sucus brassicae cumini odore imbuitur, tamen id, quod proprie olet, cuminus est, ita ut recte dici possit „eo indito cumini tantum quod i. e. quantum oleat“, nimirum olet, quam-

quam cum brassicae suco commixtum est. Si quis vero ne in hac quidem explicatione acquiescit, potius quod in quo mutet quam ut Catoni ablativum in d exeuntem vindicet. Adde quod O. Kienitz. De qui localis modalis apud priscos scriptores Latinos usu p. 572 sequ., quia aliae pronominum formae velut eod, ead apud Plautum non leguntur, illi iam tales formas, qualis ‚quod' est abiudicat et ex pronominibus med, ted sed tantum concedit, ita ut apud Catonem de talibus formis nullo modo cogitari possit, quocum consentit, quod Wichmannus posuit, „de qui ablativo antiquo" p. 7.

In reliquis tertiae declinationis casibus formae, quae apud Catonem leguntur, quia posterioribus quoque temporibus usitatae erant, nunquam mutatae esse possunt, ita ut de his nihil dicendum sit.

In vocabulis quartae declinationis utrum Catoni tribuendae sint genitivi formae in — os, ut in sen. cons. de Bac. saepius legitur senatuos, an in — uis, quibus grammatici veteres usos esse testantur (vide ap. Neuium I, p. 352) ex inscriptionibus diiudicari non potest, quia in inscriptionibus vetustissimis genitivi a vocabulis quartae declinationis derivati non inveniuntur praeter nonnullos in — os et in i cf. C. J. L. I, p. 603.

Certe in libris mss. Plauti et Terentii nonnulli genitivi in — uis inveniuntur et apud grammaticos citantur (Corssen. II, 737. Neue I, 352. Buecheler adumbr. decl. lat. 61. Reisig-Haase p. 100 et not. 89. Schneider p. 329) cum Gellius narret: „M. Varronem et P. Nigidium viros Romani generis doctissimos comperimus non aliter locutos esse et scripsisse quam senatuis et domuis et fluctuis". Quae Gellii verba significare videntur has formas magis studiis grammaticis Nigidii et Varronis deberi quam sermonis Latini con-

suetudini, ita ut paucae Plauti librorum formae ad auctoritatem illorum referendae sint, cui respondet, quod reliqui genitivi in — uis, quos vide apud Neuium l. l., omnes extant apud aequales Varronis, ita ut formam in — uis post Gracchorum demum tempora saepius adhibitam esse recte concludas. Quare cum genitivi in — us iam apud vetustissimos scriptores Romanos inveniantur, non est cur genitivos equitatus et tumultus, qui leguntur frgg. p. 81, 10 et 36, 1. J. non esse Catonianos censeamus. De genitivis in i infra erit disputandum.

De dativi singularis quartae declinationis ratione scribendi quae Catoni tribuenda sit, iudicium proferre difficilius est, quia inscriptionum testimonia ex vetustis temporibus tradita plane fere nobis desunt. In libro de agricultura traduntur dativi satui 5, 3. granatui 60 sine ulla discrepantia scripturae, in fragmentis nullus dativus vocabuli quartae declinationis, nam quod Dietzius l. c. p. 17 ex fragmentis 18, 2 affert dativum exercitu, recte non fecit, quia Gellius inde a 19, 8 demum Catonis ipsius verbis usus est, antea argumentum Catonis narrationis solum reddidit. Summa vero vituperatione dignus est quod formas adventu r. r. 142 et arbitratu r. r. 146, 2 dativos esse dicit. Etenim adventu manifesto est ablativus temporis, quod iam editionis principis editor, quippe qui scriberet ‚in adventu', intellexit, arbitratu vero ablativus limitationis. In inscriptionibus vetustis dativi vocabulorum quartae declinationis non inveniuntur, nisi senatuei in epistula praetoris ad Tiburtes circa medium septimum saeculum. 100. a. C. C. J. L. I, 201. col. 12 cf. Corssen I, 733. Sed iam apud Plautum et formae in — ui et contractae in u exeuntes extant. Neue I, ², 356. Buecheler p. 110, cum T. Varro et Nigidius semper ui scripserint. (Gell. IV, 14, 1.) Caesar

contra formam in — u commendaverit. (Gell, IV, 14, 8.) Quoniam vero formae in — u inde a Lucilii demum temporibus usitatiores fiunt (Corssen II, 2, 740) et apud Plautum tales formae maxime propter metrum adhibitae sunt, in Catonis libris tantum de formis in — ui et — uei exeuntibus quaeri potest, ex quibus mea quidem sententia propter ea, quae supra de dativo tertiae declinationis disputavimus, formae, quae — uei vocalibus concluduntur, praeferendae sunt.

Quod vero in genitivo pluralis frg. 9, 7 ap. Gell. I, 16, 4 in optimis codd. Regio. Rottend. Vatic. per synizesin scriptum est mille passum, cum recentiores tantum codd. exhibeant passuum vel passus manifeste ex librarii coniectura, quamquam usitata forma in — uum exit, non est cur Catoni abiudicemus, quia interdum exitus — uum ita contractus redit cf. Neue I 359. Corssen II, ², 708. Buecheler p. 84. Sine dubio haec scriptura linguae vulgaris pronunciationem indicat, in qua semper propter celeriorem verborum tenorem duplex u in unum contractum esse persuasum habeo. Nonnulla, quae pertinent ad quintam declinationem, suspicionem movere possunt, colorem multo antiquiorem habuisse Catonis sermonem quam quem nos adhuc investigasse nobis videmur. Cum enim pauca illa quintae declinationis vocabula, quae in libro de agricultura leguntur, memorabilia non praebeant, in fragmentis duae formae extant, quae dignae sunt, quae accuratius examinentur, nimirum diee p. 90, 15 et fami p. 56, 1 Jordan. De priore forma Quintilianus IX, 4, 37 dicit:

Ceterum consonantes quoque earumque praecipue, quae sunt asperiores, in commissura verborum rixantur, ut si s ultima cum x proxima confligat, quarum tristior etiam, si binae collidantur, stridor est ut „ars studiorum.“

quae fuit causa et Servio, ut dixit, subtrahendae s. literae, quotiens ultima esset aliaque consonante susciperetur, quod reprehendit Luranius, Messala defendit. nam neque Lucilium putat uti eadem ultima, cum dicit „Aeserninus fuit“ et „dignus locoque“ et Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos. inde belligerare, pomeridiem et illa Censori Catonis diee hanc, aeque **m** litera in **e** mollita, quae in veteribus libris reperta imperiti mutare solent, et dum librariorum insectari volunt inscientiam, suam confitentur.“ — Quae forma si recte se habet, **m** consonans in fine vocabuli evanuit, quod saepius factum esse constat cf. Buecheler p. 49. Corssen I ², 265 sequ., e vocalis vero producta est, quod geminatione exprimebatur. Inde concluserit quispiam in aliis quoque accusativis **m** literam apud Catonem evanuisse. Cum vero ex inscriptionibus eisque, quae Corssen eas secutus p. 271 exponit, appareat, inde a bello, quod Romani cum regibus Philippo Macedoniae et Antiocho Syriae gesserunt, in accusativi exitu **m** scriptum esse, iam per se verisimile est hanc formam non recte se habere. Quae sententia eo confirmatur, quod secundum veterum grammaticorum testimonia a tragico Accio demum geminatae vocales inductae sunt, quibus productio vocalis significaretur. cf. Vel. Long. VII, p. 55. K. cui traditioni respondet, quod in inscriptionibus inde a Gracchorum aetate usque ad initium tertii belli cum rege Mithridate gesti geminatae vocales in syllabis productis inveniuntur. (Corssen I ², 15. exempla vide in Huebneri indice C. J. L. I sub singulis vocalibus) et vetustissima quidem exempla extant in tabula Bantina, C. J. L. I, 197, quae lex rogata est inter annos a. u. 621 et 636 (cf. Mommsen de dial. Ital. infer. p. 156. C. J. L. I, p. 47). Quod igitur Bergkius l. c. p. 153 dicit, ‚dass Accius die ge-

mination der Vocale zuerst einführte, ist nicht erwiesen: recht gut können schon Cato und andere diese schreibweise angewandt haben' recte non dicit, quod iam Corssen I ², 15 not. propter Buechelerum, qui eandem protulerat sententiam, monet, quamquam explicatio formae d i e e, quam ipse profert, sine dubio falsissima est. Quae cum ita essent, Meunier, mémoires de la société de linguistique de Paris, tome I, p. 34. Bergk. Beitr, p. 153 recte formae d i e e substituerunt formam d i c e i. e. dicem = dicam, de qua futuri primae singularis personae forma, cum saepius inveniatur apud Catonem, infra latius erit disputandum. Totum vero Quintiliani locum mea quidem sententia rectissime correxit Ribbeck. mus Rhen. XXV (1870) p. 427, cum proponeret, ‚et illa Catonis dice facieque A litera in e mollita', ac postea ‚atqui eadem illa **m** litera cet." Vetustum igitur accusativum, in quo exitus m evanuit, Catoni non esse tribuendum apparet eaque de causa pariter ac Buechelerus erraverunt Schneider, d. voc. lat. formatione p. 361, Neue I ², 380. Alteram formam fami, quam e Catone tradit Gellius IX 14, 10 saepiusque ex vetustissimis scriptoribus citat Charis. I, 15, p. 55, Dietzius l. c. p. 17 perverse confert cum genitivis vocabulorum quartae declinationis. Quod sibi fingit verba ‚pueri atque mulieres extrudebantur fami causa' ex originibus citari, quamquam Gellius expressis verbis dicit: „Cato in ea oratione, quam de bello Carthaginiensi composuit", vix monendum est, ut ingens eius neglegentia cognoscatur, quod vero hanc formam tertiae declinationis esse dicit, ostendit, eum in conscribenda illa dissertatione eorum hominum doctorum, qui de grammatica Latina egerunt, libros omnino non inspexisse. Etenim cum ablativus vocabuli f a m e s semper productus usurpetur, (Neue, I ², 245) efficitur hoc voca-

bulum pariter ac plebes vetustissimis temporibus declinationem quintam secutum esse et postea demum per analogiam eorum vocabulorum tertiae declinationis, quae in nominativo singularis literis — es concluduntur, in declinationem tertiam transiisse. In quinta autem declinatione genitivi exitus — es et — ei vetustissimis temporibus sine magna differentia usurpantur, quorum alter primum in **ei** contractus, deinde in **i** mutatus est. (Schneider p. 353, 354 sequ. Reisig-Haase p. 103 sequ. et not. 93. Buecheler p. 66 sequ. Neue p. 375 sequ. Corssen II ^{2}, 723 sequ.) quod vetustioris diphthongi **ei** locum postea obtinuisse iam supra vidimus.

Quamquam igitur Catonis temporibus certe usitatiores erant genitivi in — es et — ei exeuntes, tamen in genitivo fami non est offendendum, cum et in inscriptionibus (Corssen II ^{2}, 724) et in scriptoribus vetustioribus interdum inveniatur. (Corssen l. c.)

Quae vero adhuc disputavimus, ea ad adiectivorum quoque declinationem pertinent, ut de his in hac dissertationis parte nihil dicendum sit.

Omnes adiectivorum superlativi, qui in Catonis libro de agricultura et in fragmentis traduntur, ita comparati sunt, ut in exitu **m** consonanti **i** vocalis praecedat. Sunt octo et nonaginta superlativi in libro de agricultura, quibus adiungendi sunt octo numeri ordinales, quae idem suffixum quod superlativi continent. Sine ulla discrepantia scripturae in omnibus his formis exitus — i m u s in libris mss. traditur. Similiter res se habet in fragmentis, ubi undetriginta superlativos in — i m u s numeravimus, quorum in uno incerta est lectio, proximi 50, 3 ap. Gell. X, 24, 10. Non p. 153 (proxumo Nonii Guelferb. et deteriores Leid. proximo Vossianus teste Hullemanno.)

Quae cum ita sint, ex librorum mss. fide colligas

Catonem in his vocabulis ante **m** consonantem semper **i** vocalem scripsisse. Inscriptiones vetustiores contra ostendunt (Corssen I ², 332. C. J. L. I ind. p. 609 col. 2, 3. Corssen II ², 129) Catonis aetate in his formis u vocalem usitatam fuisse, quam medium qnendam inter u et i sonum habuisse inde efficitur, quod iam in vetustissimis inscriptionibus in nonnullis vocabulis **i** invenitur. (Corssen I ², 336.) Cum inscriptionum ratione consentiunt et Plauti libri mss. optimi, qui semper exhibent decumus centensumus, maritumus cet. cf. Corssen I ², 336. Ritschl. proll. Trinum XCV et grammaticorum testimonia ut Quintiliani I, 7, 21 aliorumque quos vide ap. Neue II ², 102.

Quae cum ita sint, sequitur ut in Catonis verborum ordine aliquo tempore in omnibus his vocabulis **i** in locum vetustioris vocalis **u** substitutum sit. Vetustioris vero rationis scribendi nonnulla restant vestigia in libris mss., cum in libro de agr. legatur optuma c. 41 (optuma P A optima R v) c. 93 maxumam (maxumam P maximam b v, maximumā A corr. maximam A ² maxuma c) c 148 proxumo P c proxūmo b. proximo A v).

Data occasione nonnulla alia vocabula propter eandem vocalium **i** et **u** vacillationem digna, quae commemorentur, tractanda sunt, ut diiudicari possit, utrum in his et ipsis **u** vocalis sola Catonis aetatis rationi scribendi respondeat an in aliis **u**, in aliis **i** poscendum sit. Ea quidem, quae Dietzius p. 7 de his vocabulis dicit, plane inepta sunt, quia omnia confundit et perturbat, cum bene distinguendum sit inter talia vocabula, in quibus vocalis in stirpe extat et talia, in quibus in suffixo invenitur. Ex illis vocabulis certe in l u b e t semper **u** scribendum est. Etenim linguarum, quae ab eadem stirpe ortae sunt,

qua Latina, comparatio ostendit, in stirpe huius vocis vetustam vocalem fuisse. (Curtius etym. Graec. p. 367. Corssen I ², 367 id. symbol. crit. ad voc. lat. format. pag. 201.) quamquam e Graeca voce λιπτω colligi potest, iam in lingua Indogermanica vacillationem quandam extitisse in hac stirpe inter vocales **i** et **u** cf. Curtius l. l. p. 718 Corssen I ², 335. In inscriptionibus vetustioribus plerumque u vocalis invenitur cf. C. J. L. I, p. 584 col. 3. praeterquam quod C. J. L. 190 legitur l i b e n s et C. J. L. 182 in inscriptione antiquissima ex Marsorum finibus l i b s. i. e. libens cf. Mommsenii commentarium ad inscr. cit. et de dial. Ital. inf. p. 346, quo accedit deae nomen ab eadem stirpe derivatum Libitina (Curtius etym. p. 368. qui sequitur Prellerum mytholog. Rom. pag. 387) bis in lege Julia municipali C. J. L. 206, 94. 104. Certe in inscriptionibus saepissime extat forma **u** vocalem exhibens, unde hanc usitatiorem fuisse efficitur. Quae cum ita sint, quia praeterea forma l u b e t libris mss. confirmatur in libro de agr. 3 lubeat (lubeat P. b. iubeat A. c. iubeant f. v.) frg. 16, 16 ap. Gell. II, 28, 6 l u b e t (iubet Regius, lubeis Vatican.) 23, 10 ap. Gell. VI, 3 luberet (luberet Rottend. iubet [b cum lineola] Vat. [li suprascr. m. sec.] libet Regius) et in codd. vetustam formam in recentiorem mutatam esse verisimilius est quam contrarium, non dubito quin r. r. 5, 2 libeat. 5,5 libebit. frg. 58, 12 collibuit. libentius r. r. 4. 5, 5; 6. 157, 6 bis. libenter 156, 1; 6 libido 156, 4 vetustiorum formarum in locum recentiores substitutae sint, quod confirmatur forma lunter r. r. 11, 5 (luntris P A b c. lintris f. lintres v) qua in voce et ipsa vocalis antiquitus vacillabat inter **u** et **i**. cf. Buecheler. mus. Rhen. XI, 297 sequ. Corssen. symb. crit. ad. voc. Lat. format.

p. 151 de pronunciatione cet. II ², 271. Curtius etym. Graec. p. 279).

In eis vocabulis, in quibus vocalis dubia in suffixo extat ut monumentum, omnibus temporibus summa vacillatio fuit, ita ut nihil certi asseverari possit. Testimonio esse potest ipsa vox monumentum, quae in inscr. vetustis modo per **u**, modo per **i** scripta est cf. C. J. L. I, 586 col. 3. Nonnulla tamen accuratius constitui possunt. Certe semper **u** scribendum est in verbo existimare, quamquam libri mss. r. r. praef. tantum existimare exhibent. Neque enim inscriptiones vetustae ullam aliam formam quam aestumare et existumare agnoscunt cf. C. J. L. I, ind. p. 572 col. 1. 579 col. 2. nec Plauti libri mss., quos in his vocabulis morem antiquum servasse iam supra vidimus. cf. Corssen I ², 336. Si igitur ea, quam Corssen II ², 424 profert etymologia recta est, ita ut vocabulum aestumare compositum sit ex aes et verbo tuma — tima —, Graece τιμα — in τίμημα, **m** consonantis vis in hoc vocabulo tanta fuit, ut ne stirpis quidem vocalis defugere non posset. Sed cum meo iudicio Curtius etym. Graec. pag. 488 stirpem τι — Graecorum vocabulorum τιω, τι—μα—ω, τι—μη—μα recte comparet cum Sanscritae linguae stirpe ci —, quoniam consonans Indogermanica K² in lingua Latina nunquam in consonantem labialem vel dentalem transit, sed servatur, Corssenii etymologia recta non est, sed in aestimare aliquod suffixum latere persuasum habeo.

Pariter certe recte se habet:

lacruma cf. C. J. L. 1008 et Plauti mss. cf. Corssen I ². 336. Ritschl. proll. Trin. XIV frag. 41, 10 ap. Gell. X, 3, 17. quamquam Gellii codd. exhibent lacrimarum, monumentis frg. 19, 18, cum 33, 8 monimenta exhibeatur.

iugumenta r. r. 14, 1. 4.

In vocabulis operimenta r. r. 10, 5 pavimentum r. r. 18. vestimentum frg. 72, 22. 41, 2. verisimiliter **i** scribendum est, quia nunquam in inscriptionibus vel libris mss. **u** invenitur nec stirpis exitus i (pavi — o cf. *παFι—ω*. o — peri — o, vesti — o) mutatus esse videtur, quamquam **i** cessit **u** vocali in testumonium C. J. L. 197, 3. Sed vocalis **i** in testimonium brevis est, in tribus vocabulis vero, quae commemoravi, longa. Similem vim ac consonans **m** habebant consonantes **p. b. f** (Corssen II ² 132, 136) quare si compositi altera pars incipit ab his, aut vocalis antecedens in u mutatur aut impeditur, quo minus u vocalis in aliam mutetur, quamquam vis consonantis **f** maior est quam consonantium **b** et **p**.

Quare recte se habent:

acrufolius r. r. 31. (acrufolios P R Vict. agcrufolios, sed deleto g A, aquifolios v et Plin. XVI, 230) qua in voce **i** in **u** mutatum est Corssen II ², 137.

quadrupedem r. r. 102.

manubias frg. 37, 11.

manupretiosus frg. 72, 23 quod scribendum est r. r. 14, 5 (manipretium A, maniprecium P, inanipretium R. inaniprecium v, ‚manupretium castigavimus. In optimo tamen exemplari manipretium' Victorius). Mirum certe est, quod semper invenitur manipulus, ita r. r. 115. frg. 35, 1. r. r. 156, 2 cum ex analogia vocabulorum, quae supra commemoravimus, exspectes manupulus, cui respondent manuplos, manupulares, commanuplaris cf. Corssen II ², 133. 575. Fortasse igitur hoc quoque mutandum est pariter ac

carnificinas frg. 41, 7 J.

magnificius „ 66, 4.

nam Plauti codd. exhibent carnufex, carnuficina, magnufico. quamquam in his vocabulis iam vetustis temporibus u in i mutatum esse negari non potest.

Denique pontufex scribendum est frg. 16, 16. 27, 5, quia saepius in inscriptionibus invenitur cf. C. J. L. I, p. 590, col. 2. et Plauti manuscriptis confirmatur. (Corssen I ² 335.) Utrum vero surripio recte se habeat, quod legitur r. r. 67, 2 an surrupio, quod confirmatur titulo C. J. L. 603, 14 ex anno 58 a. C. et formis subrupere, surrupticius, derupis, surrupui, surruptícium, eruptus aliis cf. Corssen II ² 132, diiudicare non audeo, quia nullum extat exemplum, quo Catonem in stirpis syllabis quoque vocalem u vocali i propter sequens p praetulisse demonstrari possit. Denique quamquam C. J. L. 196, 26 scriptura caputalem in vetusto sermone vocabuli caput vocalem u in derivatis servatum esse ostendit, tamen de veritate scripturae capitulum r. r. 18 dubitari nequit, quia i vocalis confirmatur vocabulis Capito et capitolium, quae in inscriptionibus satis vetustis extant cf. Corssen I ² 334.

Quae formae pronominum exitibus secundae et tertiae declinationis concluduntur, eas regulas sequi consentaneum est, quas supra de substantivis harum declinationum constituimus. Quare semper expectares in dativo singularis eei, illei, ipsei, alterei cet. in nominativo pluralis: ei, iei, illei, istei, ipsei, quei, hei, in dativo et ablativo pluralis eeis, illeis, isteis, heis, altereis cet. Dativorum illei, ipsei, istei in inscriptionibus rei publicae liberae aetatis exempla non extant, sed confirmantur dativo alei C. J. L. 206. col. 98. 1277. J. R. N. 4616. et alterei bis in lege repetundarum C. J. L. I. 198 col. 76. 87 cf. Corssen I ², 731. symb. crit. ad. voc. Lat. form. pag. 295 sequ.

Difficilius est iudicare de dativo pronominis is cf. Corssen I, 731. Buecheler p. 106. Neue II ², 192 sequ. Ex insc. elucet omnibus temporibus usitatum fuisse dativum ei cf. C. J. L. I, p. 582 col. 3. extat enim C. J. L. 197 inter a. u. 621 et 636. C. J. L. 198. a. u. 631 v. 32. C. J. L. 200. 643. a. u. C. J. L. 202. a. u. 673. C. J. L. 205. a. u. 705. C. J. L. 206. a. u. 709. eiei forma sola invenitur in lege repetundarum septies, iei denique bis in lege Rubria C. J. L. 205. Quae igitur forma Catoni tribuenda sit, diiudicari non potest, quamquam forma ei certe usitatissima fuit. Hoc quidem ex inscriptionum discrepantia efficitur et prioris et posterioris syllabae vocalem plane incertam fuisse et vacillasse inter e et i. In dativo pronominis relativi inscriptiones usque ad rei publicae liberae finem nullas exhibent formas nisi quoiei et quoi cf. C. J. L. I ind. p. 592 col. 2, ita ut forma cui Catonis temporibus plane abiudicanda sit. forma quoiei extat C. J. L. I, 34 in uno ex Scipionum elogiis, de cuius aetate accurate non constat. 198, 10. 200, 68. forma quoi contra saepissime in eisdem titulis C. J. L. 198 et 200, praeterea 205. 206. 208. 1008. cf. indicem l. c. Quamdiu forma quoi servata sit, ostendunt Quintiliani verba I, 7, 27: illud nunc melius, quod c u i tribus, quas posui, literis enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum **qu** et **oi** utebantur, tantum ut ab illo q u i distingueretur. cf. Neue II², 228. Quare utra ex his formis Catoni attribuenda sit et ipsum diiudicari non potest, cum utramque eius aetate usitatam fuisse eluceat, quamquam forma quoi primum obtinuit locum. De explicatione harum formarum vide Corssen II ², 672. Buecheler p. 114.

In pronomine h i c denique antiquam formam hoic fuisse et Marius Victorinus VI, p. 12. 2. K. testatur et confirmatur tabulae Bantinae col. 26 forma h o i c e, cum

huic exhibeant recentiores inscriptiones C. J. L. 1027 et 1194, unde formam huic prius ingruisse quam formam cui recte concludit Buecheler p. 115. cf. Neue II ², 206. Corssen I ², 705. His dativis adiungendi sunt genitivi pronominum qui et hic, quorum formas quoius et hoius solas Catoni tribuendas esse nec formas huius et cuius inscriptiones testimonio sunt.

Formae cuius in inscriptionibus rei publicae liberae nullum extat vestigium, quoius sola tam saepe usurpatur, ut eam unam usitatam fuisse appareat. Cf. 30. 198. 200. ind. p. 592. col. 2. et Mar. Victor. 13, 10 K. In Catonis libris mss. semper extat forma cuius et in libro de agricultura et in frgg. praeterquam quod genitivus quoius r. r. 141, 1 in carmine vetusto servatus est et confirmatur forma quoium r. r. 139, 1 et ipsa ex carmine vetusto desumpta. Atque quamquam in inscriptione 603, quae in ruinis Furfonis inventa est. col. 5. lapidis ineptum ‚humus' Mommsenius sine dubio recte in huius correxit et praeterea huius legitur 1409, 7 in inscriptione Augusti imperatoris aetate conscripta. (Mommsen C. J. L. I, p. 263. col. 1.) tamen formam hoius solam accommodatam esse Catonis aetati demonstratur et analogia genitivi quoius et inscriptionibus 198. col. 56. a. u. 631 vel 32 et eodem titulo Furfone investigato, qui in columna 4 hoiusque exhibet. Omnino vero formas pronominis hic paullo prius mutationes orthographicas subiisse iam supra vidimus. cf. de his formis Corssen I ², 706, II, 672 sequ. Buecheler p. 76 sequ. Meunier mémoires de la société de linguistique de Paris I. Neue II, 203. 227 Denique ex forma honc, quae legitur in Scipionis elogio 32 circa annum 500 conscripto fortasse colligas, hanc formam diutius usitatam fuisse, sed quamquam in inscriptionibus alii accusativi sing. masc. pro-

nominis h i c non extant nec libris mss. ullam fidem habendam esse iam supra vidimus, ex eis, quae supra de accusativo secundae declinationis disputavimus, elucet Catoni formam h u n c solam tribuendam esse.

Nominativus pluralis i e i extat in antiquissimo titulo Venusino C. J. L. 185, sed lectio incerta est, ita ut Mommsenius coniecerit ieis, C. J. L. 202 (81 a. C.) 204 (71 a. C.) cet. cf. Corssen I, 750. C. J. L. I. ind. p. 583 col. 1. Neue II ², 194 sequ. ipsei C. J. L. I, 204 bis. illei C. J. L. 1194. hei C. J. L. 1012, quei innumerabilibus locis e. g. C. J. L. 197 semel. 198 ter decies cf. C. J. L. I ind. 582 col. 3, quibus testimoniis veritas harum formarum satis confirmatur. denique dativi et ablativi pluralis in — eis exeuntes et ipsi satis saepe in inscriptionibus vetustis inveniuntur, ut ne eos quidem a Catonis aetate alienos esse satis certum sit. cf. eeis dat. C. J. L. 196. (186 a. C.) ieis C. J. L. 204 (71 a. C.) C. J. L. 624 (post annum 58 vel 61 a. C.) olleis C. J. L. 202. 81 a. C. ablativi: eeis. C. J. L. I, 196. eieis I, 201 (100 a. C.) ieis 204 (71 a. C.) 205 (40 a. C.) 206 (45 a. C.) heisce 198 (123. 122 a. C.).

Dubium esse non potest, quin formae in — eis in pronominibus quoque Catonis aetati vindicandae sint. cf. Corssen I ², 759 sequ. Buecheler 131. Neue II, 196. 210.

Praeter nominativum pluralis quei bis in sen. cons. de Bacc. extat forma ques C. J. L. 196, 4. 24, cui respondent nominativi a vocabulis secundae declinationis derivati in — eis, — is, — es exeuntes cf. Corssen I, 751 sequ. Forma q u e s in s. c. d. B. utroque loco ita usurpatur, ut nominativus pluralis pronominis indefiniti (Buecheler p. 42) sit, cum nominativus relativi pronominis exprimatur forma quei, de qua supra disputavimus. Quo-

cum senatus consulti usu plane consentit, quod Cato origines sic incohavit: „si queis homines sunt cet.“ cf. Jordan 3, 12. Peter hist. Rom. frgg. I, p. 51 idemque in originum libro altero: „si quescunque (quomque solum Catonis esse ex eis, quae supra disputavimus, apparet) Romae regnavissent“ cf. Jordan p. 15, 3. Peter hist. Rom. frgg. p. 70. frg. 64. Eandem quam Cato consuetudinem secutum esse Pacuvium grammatici veteres testantur cf. Buecheler p. 42. Corssen I ^{2}, 758, grammaticorum testimonia ap. Neuium II ^{2}, 232.

Eis vero formis, quas supra tractavimus, addendus est nominativus singularis pronominis relativi qui et pronominis demonstrativi hic. In inscr., quae continentur in primo volumine corporis inscriptionum, tres extant formae nominativi pronominis relativi:

quei que qui

q u e i sexcenties in inscriptionibus vetustissimis cf. ind. p. 592 col. 2, q u e semel C. J. L. 1297, cuius inscriptionis tempus incertum est. Forma q u i primum invenitur semel 199 a. u. 637. bis 206 a. u. 709, ita tamen, ut in his quoque inscriptionibus numerus formarum quei multo maior sit. Quare Catonis aetati solam formam q u e i vindicandam esse apparet. Aliter res se habet cum pronomine hic. Cum enim in eadem inscriptione vetustissima C. J. L. 32, quae post annum 285 a. C. insculpa est, semel forma hic et hec, in posterioribus inscriptionibus sola forma hic legatur, apparet alteram formam Catoni tribuendam esse, verisimiliter formam hic, quia formam hec iam evanescentem fuisse ipsa illa inscriptio ostendit. Inde efficitur formam heic, quam pariter ac formam quei quondam extitisse pro certo asseverare licet, iam vetustissimis temporibus evanuisse, ut dativum pronominis hic et ipsum prius mutatum esse quam dati-

vum pronominis qui iam supra vidimus. cf. Corssen I ², 784. II ², 672. Neue II ², 219 sequ. 206. Buecheler p. 28 sequ. Nec minus multis aliis formis Catonis aetate scriptura **ei** tribuenda est, quae hoc statim loco data occasione nobis tractandae sunt. Non est cur miremur, quod in dativorum singularis et pluralis pronominum personalium exitibus vetustissimis temporibus eadem scriptura ei extat, ita quidem ut inveniatur

mihei, tibei, sibei,
nobeis, vobeis.

Omnes hae formae praeter nobeis inscriptionibus vetustissimis confirmantur. mihei et mihe etiam tum in inscript. recentioribus C. J. L. 1016. 1277. 1049. mihi extat 1009. 1019. 1103, e quibus 1009 aetatem sive Ciceronianam sive Augusteam incipientem spirare Viscontius asseverat assentiente Mommsenio cf. Mommsen l. c., 1019 vero ‚mihi' suppletum eaque de causa incertum est, 1103 sine dubio et ipsa aetatis satis recentis est.

tibei testantur 542 a. C. 146 et 1453. 818 (in indice C. J. L. falso annotatum est hoc loco legi tibi, cum in verborum ordine ex apographo sit tibei) tibe ex Scipionum elogiorum elog. 33. tibi 1431. sibei in inscriptionibus vetustissimis 38. 196, 4. cet. cf. ind. pag. 596, col. 1.

sibi in recentioribus demum velut. 1023. 1041. cet. cf. C. J. L. l. c.

sibe vero testatur Quintilianus I, 7, 24. Certe ex vacillante inter **e** et **ei** scriptura elucet, sonum non diphthongum fuisse, sed medium quendam sonum inter e et i.

Catoni alteram scripturam tribuendam esse maxime ostendit tituli Mummiani tibei, quamquam longam vocalem iam vetustis temporibus correptam esse Plauti comoediae

testantur, ubi syllaba brevis compluribus locis metro postulatur. cf. Buecheler p. 111. Corssen I ², 782 sequ. Neue II ², 180.

Forma vobeis denique extat 196. 1008. 201. col. 5. 8, cum in epistula ad Tiburtes C. J. L. 201. col. 11. quod in verborum ordine legitur vobeis, Mommsenio auctore corrigendum sit in .vobis cf. Addenda et corrigenda C. J. L. I, p. 556, col. 1. Sine dubio senatus consulti scriptura satis affirmatur, Catonis temporibus vobeis scribere usitatum fuisse, quare nobeis quoque ei vindicandum est cf. Corssen I ², 784. Buecheler 130. Neue II, 185.

Eadem de causa qua tibei scribendum est ibei cf. C. J. L. 196. 198. 199. cet. ind. p. 582 col. 1. ubei 196. 198. 199. 200. cet. ind. 598 col. 1. nam suffixum adverbiorum ibei et ubei idem esse quod formarum tibei, sibei apparet. Buecheler p. 112. Corssen I, 783. Deinde agitur de nonnullis formis, in quibus casus Indogermanicus locativus, quem ut in plerisque aliis linguis, ita in Latina quoque interiisse constat, omnibus temporibus in lingua Latina servatus est, quia pro alio casu habebatur eaque de causa non mutabatur.

Primo loco nominandus est adverbium heic cf. Corssen p. 774. Primum legitur in miliario Popilii 551 ex anno 622 a. u., deinde 590. a. u. 676, saepissime in inscriptionibus recentioribus maxime sepulcralibus inde a. C. J. L. 1007. cf. ind. p. 581. col. 2. Forma hic contra semel invenitur in elegio Scipionem 34 et deinde saepius in inscriptionibus recentioribus incertae aetatis inde a. C. J. L. 1009 cf. l. c. ind. p. 581. col. 2. Efficitur iam vetustissimis temporibus et formam hic et heic usurpatam esse, quod etiam magis confirmatur titulis recentioribus, quorum aetate utraque forma usitata fuit.

(Corssen I ², 774. Buecheler p. 121). Quare utra forma Catonis maxime temporibus tribuenda sit, diiudicari nequit. Buechelerus l. c. cum locativo heic coniungit adverbium relativum quei, quod et ipsum locativum esse disputat, quam sententiam acerrime impugnat Corssen I, p. 776. not. id. in libro ‚Kritische Nachträge zur latein. formenlehre' p. 92 sequ. id. in Kuhnii diar. gramm. comparat. XVI, 304. Atque conatur Corssenius ostendare, qui non esse a stirpe quĭ —, quae inest in quĭ — ς, q u e — m derivatum. Uter recte viderit exponere quia longum et difficillimum est neque ad nostram quaestionem multum valet, missum faciamus, praesertim cum de ea re amplissime egerit O. Kienitz. de qui localis, modalis apud priscos scriptores Latinos usu diss. inaug. Argent. Lipsiae 1879 p. 565 sequ. quamquam causae ab eo allatae nullo modo omnem dubitationem tollunt. Immo sufficit nobis exponere, quam rationem in scribendo hoc vocabulo Catonis aetate secuti sint Romani. Buechelerus l. c. unum inscriptionum locum affert, quo scriptura in ei confirmetur, e lege agraria C. J. L. I, 200 col. 17. cf. Mommsen p. 92: „QVEI pro q u o in aere est."

In Plauti libris mss. semper qui, nequiquam scriptum est, praeterquam quod Pers. IV, 3, 46 Ambrosianus exhibet nequequam, unde fortasse in Plauto hoc loco olim inventum esse n e q u e i q u a m recte colligas. Quare verisimillimum esse mihi videtur, in adverbio q u i pariter atque in adverbio h i c iam Catonis et Plauti temporibus rationem scribendi vacillasse inter quei et qui.

Praeter eos locativos, qui posterioribus quoque temporibus apud Latinos usitati fuerunt ut domi, ruri, Corinthi, postridie, pridie meridies (Stowasser in Wölfflinii. archiv für lexicographie I p. 277. H. Usener in Jahnii ann. CXVII [1878] p. 78 sequ.) in Catonis libris non-

nullae formae rariores extant frg. 21, 2 ap. Gell. X, 24, 7 die quinti ‚die quinti in capitolio tibi cena cocta erit' frg. 50, 3 ap. Gell. X, 24, 10. Non. p. 153 die proximi. eo loco, quem Jordanus praeterea affert, 63, 4 non legitur die proximi, sed postridie. Apud Plautum contra Pers. 260. R. in codice servatum est die septimei (Corssen I ², 775) unde Corssenius colligit eodem tempore formas quintei et quinti usitatas fuisse, quae confirmarentur compositis postridie, quoti — die, pri — die. Atque quamquam mea quoque sententia, cum ex inscriptionibus nihil haurire possimus, has formas eandem regulam, quam supra in vocabulo heic agnovimus, secutas esse verisimile est, tamen quod Corssenius ex libris mss. et Gellii verbis collegit, Catonem re vera die quinti, non die quintei scripsisse, sine dubio non recte fecit, quia etiamsi optimis codicibus Gellius se usum esse affirmat, certe iam in his codicibus genuina scriptura obliterata erat. Accedit quod i in die quinti longa est aeque ac in postridie, huic i longae vero Catonis temporibus scripturam ei respondisse iam saepe vidimus. Ceterum cf. de his formis quem iam supra citavi Gellium X, 24 et Buechelerum p. 119 sequ. Denique nonnullae coniunctiones et adverbia commemoranda sunt, quorum naturam locativi Corssen l. c. p. 777 probare conatur, cum nostra magis intersit, quae ratio scribendi Catonis temporibus fuerit. formae sunt:

seic seine
sei sei — ve ni — sei qua — sei
utei uteique.

Forma seic confirmatur tabella plumbea diris inscripta C. J. L. 818, ubi bis legitur, cum sic a Mommsenio coniecta sit. C. J. L. 1447, sed lectio incerta est.

Forma seine semel 198 col. 54 a. C. 122. vel. 121,

cum in eadem lege col. 69 forma sine inveniatur, quae in posterioribus inscriptionibus, semper illius formae locum obtinet cf. ind. p. 595. col. 2. Videmus igitur Gracchorum tempore, quo omnino maximae mutationes in lingua Latina increbruerunt, scripturam s i n e alteram s e i n e superasse, sed hoc ipso tempore vacillationem quandam fuisse, quare quin s e i n e forma vetusta et Catoni vindicanda sit, non dubitamus.

Cum in forma s e i n e iam prius vacillatio increbuerit, forma s e i sola invenitur sexcentis locis inscriptionum vetustiorum velut C. J. L. 33. 196 quater 197 sexies cet. cf. ind. p. 595 col. 1. Formam **si** contra semel exhibet lex agraria. C. J. L. 200. col. 41., ita tamen ut huic uni formae quinque in **ei** obstent, unde Corssen recte concludit usque ad Gracchorum tempora solam formam in ei usitatam fuisse. Pariter in omnibus vetustioribus inscriptionibus s e i v e ind. 595 col. 2. s i v e primum 603. col. 15. 57 a. C., nisei 196. 198. 200. 204. 205. 206. nisi primum 199. a. u. 637 a. C. 116. q u a s e i vero solum in inscriptionibus vetustis extat e. g. 197, 13 ind. 592, 2. Denique quamquam forma utei sine ulla exceptione sola extat s. c. d. B. et in reliquis inscriptionibus formae utei et uti permiscentur, ita tamen, ut primam formam in i exhibeat tabula Bantina post annum 131 et in posterioribus titulis sexcentis formis in — **ei** nonnullae tantum in — i obstent, non dubito, quin Catoni forma utei tribuenda sit.

Restant formae veiginti et viginti, nei et ne et ni. veiginti C. J. L. 1194. viginti titulus 577. vetustior (105 a. C.) quae forma genuina est. Corssen I ², 785. id. Krit. nachträge zur latein. Formenlehre p. 96 seqn.

In his vero formis nē vetustissimam esse, praeter quam in lingua Latina extitit forma correpta nĕ (nam

quod Corssen dicit formam nē ex nĕ ea ratione, quae in grammatica comparativa ‚vocalsteigerung' nominatur, ortam esse ex recentissimis eorum, qui grammaticae comparativae operam dant, sententiis rectum non est; immo forma nē vetustior,) formam n e i vero recentiorem septimo demum saeculo usitatam, cum octavo iterum saeculo forma n e adhiberetur, optime Ritschelius exposuit opusc. II, 622 cf. Corssen I p. 786. Quia igitur belli Syriaci aetate semel tantum 196, 4. 186 a. C. invenitur n e i, Catoni aptissime forma ne tribuitur (Corssen 786) quae re vera semper et in libro de agricultra et in fragmentis legitur, quamquam dubium esse non potest, quin hae formae non saeculo sexto, sed saeculo octavo debeantur ut Plautum quoque Servius plenum particulae **ni** inveniebat, quae saeculo septimo in eum irrepsit. Ritschl. l. c. p. 629. Neque dubium esse potest, quin forma **ni** et ipsa aliquando saepius in Catonis libro extiterit, quod concludi potest ex cap. 37 § 4, ubi loco vocabuli n e q u a m ap. Plin. XVI § 194 extat n i g r a m et cap. 33 ni serito ap. Plin. XVI, 196.

Postquam ex inscriptionibus, quibus solis in his quaestionibus fides habenda est, constituere conati sumus, qualis fuerit in pronominibus reliquisque formis, quas data occasione tractavimus, Catonis aetate ratio scribendi, videndum est, quantopere formae Catonis, quae in libris manuscriptis libri de agricultura traditae sunt, huic imagini respondeant, ut cognoscamus, hisne in rebus vetusta gravitas servata sit. Paucis verbis opus est. Nusquam enim in libro de agricultura scripturae vetustae, quam supra investigare conati sumus, ullum extat vestigium. Nusqam invenies dativos illei, istei cet., nusquam nominativos illei, istei, ipsei, quei, hei, nusquam denique dativos et ablativos eeis, illeis, isteis, heis, altereis cet.

Item frusta quaeres dativos mihei, tibei, sibei, nobeis, vobeis, frusta seic, seine, sei, seive, nisei, quasei, uteique, utei. Praeter formam utei vel quae in libro de agricultura semper exhibetur, uti, extat forma ut, ita tamen, ut illarum formarum numerus multo maior sit. Atque quamquam forma **ut** iam invenitur in Scipionum elogiis 33 et 38, quorum alterum si recte refertur ad Africani maioris filium cf. C. J. L. I p. 19 circiter post annum 590 = 163, alterum circa annum 615 = 148 conscriptum est, deinde 201 circa 100 a. C., tamen nescio an Cato sibi constans fuerit et semper scripserit utei. Certe ex eis, quae modo disputavimus, elucet in pronominibus quoque aliquo tempore ex Catonis verborum ordine scripturam vetustam expulsam esse. Eadem vero, quae de libro de agricultura dicenda sunt, quadrant ad fragmenta, quae ex aliis eius libris apud scriptores veteres citantur, unde quae concludenda sint, infra videbimus.

Denique agendum nobis est in tractanda exituum, qui ad flexionem pertinent, ratione scribendi de coniugationis consuetudine. Atque primo quidem loco ea ponamus, quae arte cum eis, quae modo disputavimus, cohaerent, idemne quod de permultis declinationis formis Catonis dicendum esse vidimus, de coniugationis formis quibusdam statuendum sit. Quaeritur maxime de vocali i, quae quartae coniugationi propria est, deinde de infinitivi passivi exitu — ri, denique de exitibus primae, secundae, tertiae personae singularis perfecti. Formae, in quibus vocalis i, quae quartae coniugationi propria est, per ei scripta est, sunt: audeire 198. 123 vel. 122 a. C. veneire 203, 9 (venere Fiorelli. in eadem columna sequitur venire) a. C. 78, quibus addere non possumus formas similiter derivatas: poseivei C. J. L. 551. 132 a. C. composeiverunt 199. a. C. 117, cum in his formis vocalem i secundum eam legem,

quam recentiores ‚vocalsteigerung' nominant, auctam esse recte Corssen I, p. 420 disputet. Inscriptiones vetustiores vocalem quartae coniugationis semper per i exhibent (exempla Corssen p. 722) unde suo iure Corssen concludit hanc vocalem genuinam et vetustam esse, ita ut formae sarciri, r. r. 2, 3 muniri ib. vinciri ib. venire 3, 2 sine dubio recte se habeant.

Deinde vocalis i per ei scripta est in compluribus infinitivi praesentis passivi formis, quas Corssenius collegit I, 722 ind. p. 601, 2. Omnes vero infinitivi, qui ibi collecti sunt, — omisit Corssen infinitivum ducei 205, 2, 51. a. u. 705 et in lege Julia municipali 206, 64. 65. a. u. 709 — in inscriptionibus extant, quae inter annos 123 et 45 insculptae sunt, cum in inscriptionibus vetustioribus infinitivi in — ier vel in — i saepius qnam in — ei inveniantur, unde formam in ei Catonis aetate usitatam non fuisse efficitur. cf. Corssen I ² p. 722 sequ. Neue II ² p. 406 sequ. Forma in — ier apud Catonem bis in libris mss. servata est: peragier frg. 27, 2. viderier 18, 16 in Gellii quidem verbis, sed sine dubio ex Catone desumptis. Neque tamen inde concludere licet Catonem non nisi hac forma usum esse, cum apud Plautum et Terentium formam brevem usitatiorem fuisse metro confirmetur, forma longior nisi in exitu versus apud Plautum non inveniatur, ita ut iam obsolescentem fuisse concludi possit. Neue II ², p. 407. Fortasse vero hoc illo loco, ubi nos nunc formam breviorem legimus, Cato longiorem scripsit.

Denique scriptura ei pro i invenitur in prima, secunda, tertia persona perfecti activi, quarum exitus quondam longos fuisse constat. Inscriptionum locos vide ap. Corssen I ² 724 sequ. Quamquam ei iam in Scipionis elogio 38. a. C. 139. 551 a. C. 132. 541. a. C. 145

extat, ita ut Catonis aetati plane abiudicari nequeat, quia in titulis vetustissimis et in s. c. d. B. semper i vocalis usurpatur atque in posterioribus quoque titulis numerus formarum i vocalem exhibentium multo maior est, quin tales formae quales ‚feci fecisti, fecit' solae Catoni tribuendae sint dubium esse non potest.

Quare in his formis liber eius mutationes non subiit, cum libri mss. omnibus locis eas praebeant certe, quia posterioribus quoque temporibus usitatae erant. cf. Corssen I, p. 724 sequ. Quamquam **ei** iam in Scipionis elogio 38 a. C. 139. 551 a. C. 132. 541 a. C. 145 extat, ita ut Catonis aetati abiudicari nequeat, quia in titulis vetustistimis et in s. c. d. B. semper i vocalis usurpatur atque in posterioribus quoque titulis numerus formarum i vocalem exhibentium multo maior est, quin tales formae quales feci, fecisti fecit solae Catoni tribuendae sint dubium esse non potest.

Quare in his formis liber eius mutationes non subiit, cum libri mss. omnibus locis eas praebeant, certe, quia posterioribus quoque temporibus usitatae erant cf. Corssen I, p. 724 sequ. Neue II ², 507 sequ. Tertiae personae pluralis perfecti activi apud Catonem hae extant formae: habuerunt r. r. praef. posiverunt. ib. monstraverunt 152. Primo loco habuerunt P b. A. c f, habuere v. altero posiverunt P. A. B. et codd. Victorii, posuerunt c f posuere v. tertio loco sine ulla discrepantia. In fragmentis: accessitavere 8, 5. dedere 19, 9. decoravere 19, 17. habuere 20, 1. meminere 9, 11. metuere 23, 9. decessere 20, 13. rescivere 21, 5. paravere 39, 3. verberavere 41, 3. videre ib. obsonitavere 52, 14. habuere 39, 6. 59, 7. 10. ap. Gell. V, 13, 4 (altero loco habuere Hertzius, habere libri) censuere 64, 6. veniere 66, 6. emptitavere 69, 7 (ap. Fest. 286. M. temptavere codex, emptitavere coni.

Ursinus) redemptitavere ibid. intravere 85, 1. adiuvere 23, 13. sustulere 19, 12. cognovere ib. fecere 33, 4 ap. Char. II, p. 220 K. (facere Putschius) noluere 23, 6. Cui permagno numero formarum in — ere perpaucae obstant, in quibus exitus — unt servatus est: defoderunt 56, 3. circumposuerunt ib. interfecerunt ib. latitaverunt 87, 19 ap. Paulum Festi pag. 121 M. sed ex verbis: ‚latitaverunt Cato posuit pro saepe tulerunt' colligi non potest, utrum Cato illo loco usus sit forma latitaverunt an latitavere, cum Festus vocabulum citet propter formam frequentativam nec propter exitum. habuerunt 4, 15 meritaverunt 88, 5 (sed forma incerta est) calliscerunt 56, 2 ap. Non. p. 89, sed locus summam suscipionem movet, quare Struvius de decl. et coni. Lat. p. 217 coniecit calliscerent, Meyerus calliscunt, cum ego calliverunt scribendum esse censeam. fecerunt 25, 1. possederunt 15, 5. viderunt 15, 10. Accedit forma contracta iurarunt 77, 6 neque tamen diiudicari potest, num Cato hac forma re vera usus sit, cum Gellius I, 23 verborum eius argumentum solum reddat. Quantum igitur ex libris mss. colligi potest, Cato in frgg. formam brevem in — ere exeuntem praetulit, cum forma longiore multo rarius uteretur, quam in libro de agr. solam adhibuit.

• Vetustissimum exitum — ont fuisse testatur Quint. I, 4, 16. qui in vetustis urbis Romae operibus et celebribus templis legebat ‚dederont' et ‚probaveront', quocum inscr. vetustissimae consentiunt cf. Corssen II, 175. Neue II, 189 ind. p. 601, col. 3. Sed cum iam inde a Syriaci belli temporibus vocalis o exitus — ont in u saepius mutata sit, quod inscriptiones eaedem confirmant, quin formae in — unt Catoni tribuendae sint dubium esse non potest. Ut vero iam supra vidimus, o diutius in eis formis servatum esse, in quibus vocalis u vel v vel qu antecessit,

ita in coniugatione etiam tum post Gracchorum tempora formae in — v — ont, u — ont solae in inscriptionibus inveniuntur et Plauti libris mss. confirmantur. cf. Corssen II ² 176 sequ. Quare formas vivunt frg. 88. 9. ap. Fest. p. 177 M et secuntur frg. 14, 2. non recte se habere, sed scribendum esse vivont, sequontur apparet. Inter formas breviores in — ere et longiores in — erunt vero ea interest ratio, ut iam in titulis vetustissimis hae formae promiscue inveniantur. Cum enim in inscr. vetustissimis C. J. L. 177. 188. 186. 185. formae legantur velut dedro 177 dedere 188 censuere 185. 186 consuluere 185 et in s. c. d. B. quater forma censuere (col. 3. 9. 18. 26), in eodem titulo semel extat forma consuluerunt. Corssen l. c. p. 186. Neque tamen ullo tempore forma brevis usitatior fuit quam altera, sed in legibus, quae nobis servatae sunt, pleniorum formarum numerus multo maior est, unde recte concludit Corssen l. c. has formas linguae urbanae et prosae orationis consuetudini proprias fuisse, cum breviores magis linguae vulgaris essent cf. Cic. or. XLVII, 157. Quare mirandum non est, quod apud vetustiores poetas scaenicos et Sallustium Frontonemque, quos linguam vetustam, in qua permultae linguae vulgaris proprietatis servatae sunt, imitatos esse constat formae in — ere persaepe leguntur. cf. Neue II ² 389 sequ. Corssen I 186 sequ. Quae fragmentorum sermonis ratio nullo modo cum eo consentit, quod Dietzius in libro de agricultura sermone vulgari, in originibus et orationibus sermone urbano Catonem usum esse disputat, immo ex Dietzii sententia in libro de agricultura formas breviores in — ere, in fragmentis longiores in — erunt, exspectes. Ac nescio, an formas in — erunt, quas in libro de agricultura legimus, et ipsas grammatico posteriori debeamus.

In gerundiis et gerundivis tertiae et quartae coniugationis libri de agr. mss. partim formas in — endus, partim in — undus exhibent, quaerendae praef. accipiunda 2,6 (accipiunda P c. f. accipienda A v, accipienda expuncto e et superscripto u b) utenda 5, 3. conserundo 6, 2. ferundo ib. coquendam 16. cogendam 31. educendus 38. serendae 61. faciundi 140. circumferenda 141, 1. faciendi 141, 3. legendam 144, 1. legunda 144, 4. faciunda ib. (legunda et faciunda f. v. legunda et facienda P A c, legunda b) faciundam 145, 1. facienda ib. utendi ib. 2. legendae faciendae 146, 2. sariendo 161, 2. In fragmentis una forma excepta semper exitus — endus invenitur. oriundi frg. 9, 9. consulendo 22, 3. 23, 1. intellegendo ibid. colendo 43, 7. conserendis 43, 8. faciendum 49, 8. legenda 42, 8. loquendi 57, 29 (sed in verbis Gellii Catonis sententiam referentis) bibendi 58, 1, bibendis 78, 6, dormiendi 58, 1. colendi 78, 13. credendum 62, 6, dicendi 80, 1.

Videmus igitur ex libris mss. in hac quaestione nihil certi colligi posse. Atque inscriptiones quoque nos deserunt. Cum enim in inscriptionibus vetustissimis gerundia omnino non inveniantur, in inscriptionibus Catonis aetate conscriptis formae in — endus et — undus promiscue usurpantur:

cf. deducundae C. J. L. 538 (181 a. C.) exdeicendum, faciendum 196 (186 a. C.) unde efficitur, utrum altera forma Cato semper usus sit an utraque forma promiscue, diiudicari non posse. Ac re vera iam vetustissimis temporibus formas in — endus et — undus usitatas fuisse forma Umbrica auferener ostendi recte Corssenius disputat. (tab. Ig. VI α col. 19). Cum vero Sallustium, quem vetustum colorem libris suis tribuere conatum esse constat (cf. Brueunert. de Sallustio imitatore Catonis. diss.

1873) semper fere forma — undus utatur praeter ea verba, in quibus gerundii exitui u, qu, v antecedunt, ubi ne in titulis quidem forma in — undus extat., ind. pag. 609 col. 2, quamquam in his quoque formis quondam formam in — undus non inusitatam fuisse ostendit forma numeri ordinalis secundus; cum porro in Plauti et Terentii libris mss. forma in — undus semper fere inveniatur, nescio an optime in eis formis, in quibus u. qu. v antecedunt, exitus — endus Catoni tribuatur, in reliquis — undus. cf. Neue II ², p. 452 sequ. Corssen II ², p. 180 symbol. crit. p. 120 sequ. Krit. nachträge pag. 133 sequ. C. J. L. I. p. 609 col. 2.

Similiter res se habet in coniunctivo praesentis verbi substantivi, ubi ex formis vetustis in Catonis libro de agricultura secunda et tertia persona singularis et tertia persona pluralis saepius inveniuntur, cum simul compluribus locis recentior forma codicibus confirmetur. Ut deteriorum codicum discrepantias, quae uno quoque fere loco extant, praetermittam, in tertia persona sexagies sexies forma vetusta s i e t legitur, cui decies sexies forma recentior s i t obstat, in tertia persona pluralis undecies forma vetustior s i e n t, decies forma recentior s i n t, in secunda persona singularis quater forma vetusta s i e s, forma recentior nunquam. Quaeritur igitur, utrum Catonis semper una forma vindicanda sit an promiscue modo hac modo illa usus sit.

In frgg. forma sim exhibetur 51, 2. 58, 9. sies 85, 7. 82, 4 quid sit scribendum, incertum est. sit 66, 8. 77, 2. 7. 82, 1. siet 22, 6. ap. Gell. VI, 3. (siet. Vatic. Rottend. si sit cod. Sozomeni, sit ceteri.) 37, 19. 20. 50, 7 ap. Prisc. VI pag. 226. H. 266. H. (siet Lugd. Carolir. p. 226. 266, Sang. et superscr. e t Bern. p. 226.) 71, 8. sint 25, 4. sient 16, 10. ap. Gell. XVII,

13, 3. (fient. Reg. Lugd. sint. Petav.) ex coniectura Jordanii 55, 11. In inscriptionibus forma siem omnino non invenitur, forma sim semel C. J. L. 1220 aetatis incertae, siet semper in inscr. 197. 198. 199. 200. quae inter annos 132 et 110 insculptae sunt, sit primum in elogio Scipionum 34, de cuius aetate certo non constat, deinde in lege Julia municipali 44 a. C., sint denique primum C. J. L. 204. 70 a. C., antea semper sient. Ex inscriptionibus igitur colligere possis, altero ante Christum natum saeculo formam longiorem usitatam fuisse. Cum vero iam poetas scaenicos recentiore forma usos esse metrum ostendat, illam formam Catonis aetate usitatam fuisse apparet. Neque tamen dubito, quin in Catonis libris semper scribendum sit: sies, siet, sient, quia non metro coactus erat modo hanc modo illam formam eligere eaque de causa non est, cur sibi non constans fuerit.

Neque enim quemquam prosaicum scriptorem tam inconstantem esse, ut in eodem enuntiato primum formam siet, deinde formam sit usurpet, persuasum habeo. Accedit, quod ipsius verbi forma sies semper in libris mss. extat, siet multo saepius quam sit, sient et sint aequo fere numero. Quid vero de forma sim statuendum sit, nescio, quia haec prima contracta esse videtur. Quare non dubito, quin eis locis, quibus libris mss. sit, sis, sint tradunt, Catonis sermoni vetustus color detractus sit.

Formae primae personae singularis futuri activi tertiae coniugationis, quae in libro de agricultura et in frgg. traduntur, omnes ita comparatae sunt, ut secundum rationem aureae latinitatis in — am exeant. Formae sunt: Dicam r. r. I, 6 agam. frg. 52, 10. coepiam 73, 15. dicam 77, 1. mittam 21, 4. vincam 77, 3. Atqui Quintilianus dicit I, 7, 23 „quid? non Cato Censorius ‚dicam' et ‚faciam' ‚dicem' et ‚faciem' scripsit eandem-

que in ceteris, quae similiter cadunt, modum tenuit? Quod et ex veteribus eius libris manifestum est et a Messala in libro de s litera positum.“ Libri mss. exhibent: dice et face *A. M. S.* dicae et (ut b) faciae (face b) *B,* quod Halmius in verborum ordine ita, ut supra verba posuimus, correxit, cum sine dubio scribendum sit dice et facie. Hoc Halmius ipse intellexit, cum in addendis II p. 367 diceret: ‚restituenda erat haec librorum lectio; quid? non Cato Censorius ‚dicam‘ (an pro ‚dicam‘?) et ‚faciam‘ dice et facie scripsit cf. etiam Bergk. l. c. p. 152 sequ. p. 164. Quocum loco ex eis, quae supra disputavimus, coniungenda sunt Quintiliani verba IX, 4, 39. Certe ex verbis ‚eundemque in ceteris quae similiter cadunt modum tenuit‘ satis apparet Catonem in verbis tertiae coniugationis saepissime, fortasse semper formis in e exeuntibus usum esse. Accedunt nonnulli Festi loci: p. 186 M. col. 2: recipie apud Catonem pro recipiam ut alia eius modi complura cf. Pauli ep. recipie recipiam p. 201 col. 1. M. ostende ostendam ut permultis aliis exemplis eius generis manifestum est, quae verba ex Catone desumpta esse ex eis, quae sequuntur, verisimile fit. Pauli. Fest. p. 26 M. attinge pro attingam posuere. id. p. 72 M dice pro dicam antiqui posuere. Satis ex his grammaticorum testimoniis efficitur, Catonem saepius forma futuri in e exeunti usum esse, praesertim cum Festus expressis verbis dicat ‚ut alia eius modi complura‘, quare valde mirandum est, quod in fragmentis et in libro de agricultura nullum huius scripturae extat vestigium. Nam quod Paul. Festi p. 59 M dicit: coepiam futurum tempus ab eo, quod est coepi‘ Cato: coepiam seditiosa verba loqui, nullo modo testimonio esse potest Catonem illo loco re vera forma coepiam neque forma coepie usum esse, quia illa forma non propter exitum,

sed propter praesens inusitatum coepio citatur. Quae vero talia citantur futura utrum omnia ex reliquis Catonis libris desumpta sint praeter formam dice, cum futurum dicam in libro de agricultura extare supra viderimus, an una vel altera ex parte libri de agricultura deperdita hausta sit, hoc loco diiudicari non potest. Dubium esse non potest, quin hae formae e lingua vulgari desumptae sint, quod et eo confirmatur, quod saepius a Plauto usurpatas esse libri eius manuscripti ostendunt et eo, quod in inscr. alterius a. C. saeculi m consonans, quam vetustis temporibus in fine verborum leniter tantum pronuntiatam esse constat, semper fere scripta est, cum in inscriptionibus Pompeianis, quibus lingua vulgaris optime cognosci potest, saepissime desit. cf. J. R. N. p. 112 sequ. quare etiam ex his formis efficitur, Catonem etiam in reliquis libris praeter librum de agricultura sermone usum esse, qui linguae vulgaris simillimus erat cf. Neue II ², 446 sequ. Corssen I ², 267 sequ. 405 not. 474 not.

In secunda persona singularis praesentis, imperfecti, futuri passivi, quantum ex mss. cognoscitur, formas in — ris et re promiscue usurpabat.

uteris r. r. 157, 7. 8.

adoriare frg. 82, 2. loquare 28, 8. adulterarere 68, 8 ap. Gell. X, 23 ex coniectura Salmasii. utare 18, 19. sed in Gellii verbis. agnosceris 73, 6. videris 73, 4. horteris 18, 9. et ipsum in Gellii verbis.

Nonne in his quoque formis Catonis verba mutata sint, semperque forma in — re restituenda sit, quae saepissime apud Plautum libris mss. confirmatur, diiudicari non potest. Certe iam vetustissimis temporibus utraque forma usitata erat, sed videtur mihi inde, quod Plautus saepissime forma in — re utitur, effici hanc formam linguae vulgari acommodatiorem fuisse, ita ut in

his quoque formis Cato linguam vulgarem secutus sit cf. Ritschl. opusc. II, p. 622. not. **

Denique commemoranda est apocope vocalis e in infinitivo biber pro bibere, quam adhibuisse Catonem et Fannium testatur Charis. I, p. 124, sine dubio forma singularis. Certe in libris mss. omnes infinitivi semper in e finguntur.

Postquam igitur paullo accuratius de exituum flexionis orthographia egimus quaeque in his in Catonis verbis mutata sint, exponere conati sumus, restat, ut de stirpium syllabarum orthographia nonnulla addamus, in quibus maxime agendum est, de diphthongorum mutationibus. Iam supra vidimus in exitibus Catonis aetati saepe scripturam ei pro i, quae in libris mss. invenitur et posteriori tempori debetur, tribuendam esse, quod idem de nonnullis stirpium syllabis dicendum est. Eae formae, in quibus in stirpe ei scribendum esse inscriptionibus confirmatur, apud Corssen I ², 715 sequ. collectae sunt. Neque tamen quamquam ex illis formis permultae, in quibus certe Catonis aetate ei diphthongus scripta et pronuntiata est ut liber eaque vocabula, quae inde derivata sunt, deicere, exdeicere, ceivis, multae, in quibus ei illis temporibus et ipsum scriptum est, sed medium quendam sonum inter e et i significat, in Catonis scriptis redeunt, unquam neque in fragmentis neque in libro de agricultura haec scriptura servata est.

Idem dicendum est de eis vocabulis, quorum in stirpibus quondam diphthongus oi extitit velut unus, communis, municipium, utile, curare, impune. Ex eis enim quae Corssen I, pag. 702 sequ. disputat, efficitur iam Plauti temporibus diphthongum oi in oe mutatam esse et inde a primi belli civilis aetate oe usitatum fuisse, cum demum inde a Gracchorum et belli

cum Cimbris gesti aetate praeter oe u quoque inveniatur in ludere, unus, municipium, murus, munus, uti. Quare ut in Plauti libris mss. quae inveniuntur formae munis, immunis, munera cet. posterioribus demum grammaticis debentur, ita ex Catonis quoque libris quodam tempore vetustiores formae expulsae sunt, cum hodie tantum legamus muniri r. r. 2, 4. curare 2, 5. utatur 5, 1 cet. Nonnulla tantum vetustioris usus vestigia supersunt, ita frg. 37, 21 ap. Fronton. ep. ad. Antonin. I, 1, p. 109. Mai. bis legitur impoene, reliquis fragmentorum locis 68, 8. 24, 13 et in libro de agr. semper impune.

Pariter diphthongi ou, quamquam complura vocabula, in quibus olim extitit, a Catone usurpantur velut ducere, publicus, plurima, iubere, ius, iudex, iudicium, curare, omnibus locis evanuit, ut in Plauti quoque verborum ordine nullum eius restat vestigium. Ex eis vero, quae Corssen p. 667 exposuit, cum efficiatur scripturam ou in eis, quae supra commemoravimus, vocabulis usque ad belli socialis tempus semper fere inveniri, ne Catoni quidem haec scriptura abiudicanda esse videtur. Restant diphthongi eu, ai, au, quarum prima in vocabulis velut neuter, neu ex contractione orta ut omnibus, ita Catonis quoque temporibus usitata fuit, de altera vero iam supra vidimus utrum Cato scripturam ai an ae maluerit an utraque usus sit, dici non posse. Diphthongus au contra in paucis vocabulis attenuatur, plerumque servatur. Ex eis, quae apud Catonem **au** in **o** mutatum habent, inscriptionibus plostrum solum confirmatur cf. 206, 57. 60. 63. 64. 65. 66. 62, cum apud Catonem complures formae **o** vocalem exhibeant: plostrum 2, 7 (P. A. b. c., plaustrum f. v) 10, 2. 63 bis (plaustrum priore loco P A R, plostrum v. in plostrum posteriore

loco V. c. f. in plaustrum expunctis a et u ac superscripto o b. lorum corr. plostrum A.) 135, 1. 5 ter (tertio loco lustrum R v. P. A. in plostra cap. 63).

plostrarias 11, 1. 2. coles 35, 2. coliculus 158, 1. clostris 13, 2. 135, 2. pollulus 10, 2. 21, 3. lotium 122. 156, 7. olea posia 7. 4 codicilli 55. 130. olla 7, 2. 156, 2. 158, 1. deorito 66 (P A b. dehorito c. Vict. dehaurito v.)

In frgg. contra au legitur in caudex 37, 1. plaustrum 11, 4. 28, 9. quo accedit, quod in plurimis eorum vocabulorum, quae modo enumeravimus, in libro de agr. non minus **au** diphthongus exhibetur velut:

paullulus 14, 2. 40. 103. 156, 5. 157, 9. paulatim 25. 86. 89. caules 33. aulas 81. 85. 157. 9. hauseris 112, 1. lauta 112, 3.

Quare quamquam **o** vocalis certe ex lingua rustica desumpta est, quod confirmatur Festi verbis pag. 182. col. 2: orata genus piscis appellatur a colore auri, quod rustici orum dicebant ut auriculus oriculus. itaque Sergium quoque quendam praedivitem, quod et duobus anulis aureis et grandibus uteretur, Oratum dicunt esse appellatum cf. Corssen p. 658, tamen ex his formis, quia fortuito in frgg. caudex et plaustrum tantum inveniuntur, quibus addi potest Sauracte pag. 11, 16, colligi nequit, Catonem in libro de agricultura lingua vulgari, in reliquis libris lingua urbana usum esse, nam facile dixerit alter, eas formas, quae in frgg. inveniuntur, mutandas esse, cum fortasse alter eodem iure disputet Catonem semper formis in **au** usum esse. Immo compluribus formis in **au** probatur, Catonem in l. d. agr. eodem sermone usum esse quo in frgg. nimirum lingua vulgari paullo politiore, ita ut nonnullas formas in **o**, in quibus o iam vetustis

temporibus usitatum fuisse supra vidimus, fortasse rusticorum in usum ex eorum more loquendi immisceret.

Et quoniam agimus de stirpium syllabarum orthographia, nonnullae discrepantiae inter librum de agr. et frgg. tractandae sunt, quas Dietzius affert, ut in illo Catonem lingua vulgari, in his lingua urbana usum esse demonstret.

Primum enim citat Ciceronem de orat. III, 46 dicentem proprium esse messoribus e plenissimum dicere nonnullis in vocibus iota litera sublata. Atque in frgg. praeter unum, ventus Cercius, quod Gellius II, 22, 29 affert pro ‚ventus Circius' nullum talis scripturae exemplum inveniri (ea quae de forma spiciunt et Festi pag. 344. M dicit, plane perversa sunt) in libro de agr. plurima haberi qualia leveris 69. viveradicem 33, 3. doleum 23 (bis) spongea 162, 3. trulleum 11, 3 unde efficiatur in libro de agr. usurpatam esse linguam vulgarem, in frgg. linguam urbanam. Neque vero eae formae, quas affert, quidquam valent. nam perfectum l e v i linguae urbanae esse inde efficitur, quod ab Horatio usurpatur, reliquis vero locis fere omnibus codices inter se discrepant cf. Keilii apparatum criticum.

Quamquam igitur e linguae vulgari accommodatius fuisse ut vocalem debiliorem et molliorem concedi potest (Corssen II, 199 sequ.) eaque de causa fragmentis quoque vindicandum, tamen in hac re libros mss. in quibus Dietzius nititur, ut reliquis Catonis libris id abiudicet, nihil valere apparet. Quod enim in vocabulo melipontos d in l mutatum est, quamquam in nonnullis vocabulis ut lacrima semper invenitur, certe linguae vulgari accomodatum est (Schneider I, p. 257. Schuchardt vocal. ling. Lat. vulg. I, p. 142 Corssen I ^{2}, 223,) neque tamen id quod Dietzius vult, inde efficitur.

Qnod vero deinde dicit vocabulum mena r. r. 23, 1 idem esse quod vox Gallica benna et m literam esse accommodatam pronuntiationi vulgari, plane perversum est. Nam ut praetermittam, quod Cato pro vehiculis semper utitur vocabulo plaustrum, omnino, quid vehicula in hoc verborum nexu sibi velint, non intellego. Dicit enim illo loco de eis operibus, quae per tempestates fieri possint, i. e. domi „quala parentur, sarciantur, far molatur, oleae caducae salliantur" quibuscum quo modo ‚menae emantur' cohaereat equidem nescio. Neque emi quisquam censebit vehicula melius per tempestates enim quam per dies serenos. Immo ‚menae' significat genus quoddam piscium parvorum marinorum, qui salliebantur et ab hominibus pauperibus edebantur, ut saepius usurpatur apud Ovidium et Ciceronem et translate dictum Plaut. Poen. V, 5, 33. Sed ne ita quidem intellegitur vocabulum emantur, cum necessario aliquid dictum esse debeat, quod domi fieri potest per longius tempus. Quare quin emantur aut glossema aut corruptela ex dittographia vocabuli menae orta sit, non dubito, ita ut Cato simpliciter scripserit: quom pluet, quala parentur, sarciantur, far molatur, menae, oleae caducae salliantur.

Denique quod vocabula nonnulla, quae a pura **a** vocali incipere solent, aspiratione praedita sunt in libro de agr., Dietzio vulgaris sermonis et pronunciationis esse falso videtur, nam consonantem **h** in vocabulis holus r. r. 149, 2. harena harenosus r. r. 40, 2. 18, 7. 131. 34, 2. harundo 47, 1. 160, 1. recte se habere ex inscriptionibus vetustissimis et grammatica comparativa efficitur. cf. Curtius etym. Graec. ^{5}, p. 202. Brugmann quaestiones morph. I, 51. Quare quamquam in lingua vulgari aspirationem diutius servatam esse verba Nigidii Figuli ap. Gell. XIII, 6, 3 H.: rusticus fit sermo, si

aspires perperam', quae falsissime explicavit Schuchardtius I, p. 130, ostendunt, quin etiam multis in vocabulis **h** consonans falso addita est (Fleckeisen 50 Artikel p. 31), modo omittitur (Studemund in Jahnii ann. CXIII [1876] p. 74 not. 46), quod in Catonis libro de agr. h servatum est, rectissimum est neque sermo eius eo magis rusticus fit, ut in frgg. 13, 11. 12, quoque hordeum invenis neque ordeum cf. Corssen I, 96 sequ.

Postquam igitur vidimus his Dietzii argumentis, id quod vult, non demonstrari, restant nonnullae proprietates ad orthographiam stirpium syllabarum pertinentes, quae partim posterioribus temporibus mutatae, partim in vestigiis quibusdam servatae sunt: Quint. I, 7, 25 dicit: quid dicam vortices et vorsus ceteraque in eundem modum, quae primus Scipio Africanus in e literam secundam vertisse dicitur', sine dubio Scipio Africanus minor. Cum hac Quintiliani narratione consentiunt inscriptiones, in quibus exhibetur advortit 201, 4 circa 100 a. C. advorsus 197, 9, post annum 132 a. C. 198, 30 a. C. 122. vel. 121. 204, 1, 10 a. C. 70.

advorsum 197, 18. 25. 1143. 196, 25 a. C. 185.

vorsus 197, 17 vorsum 577, 1, 12 a. C. 104 versus 603, 5 a. C. 57 advorsarium 198, 25 advorsario 198, 20 bis, 23.

Semper contra adversus legitur C. J. L. 206. septies a. C. 44, unde efficitur, Catoni scripturam per o non esse abiudicandam, quocum consentit, quod saepius haec scriptura in libro de agr. invenitur. vortito 6. 151. deorsom 22, 2. 38. transvorsos 45, 3 (V b. c. transversos A) vorsum 22, 4. 32. 33. (vorsum V versum A R) 40. 46.

seorsum 53. 95. 105. 115. 117. vorsato 79 (versato V A R.) 80 (vorsato A b. c. Vict. versato V f.) quare non dubito, quin reliquis locis genuina Catonis scriptura

mutata sit, nimirum: advertito 1, verti 40, vertet 45, vertito 46. (P A c. f. vortito b. v.) 48 (vertito P A R vortito v) versum 15. 19 versus 43, 2. 156, 4 adversus 144, adversum 144, 4, controversus 43, transversum 48. In frgg. similiter formae per o et e permiscentur: adversarios 60, 6. adversus 59, 8. 9. 71, 3 (?) 8. 109, 16 (ibid. aversus) in Ciceronis verbis de or. II, 63, 256. advorsus contra 23, 14. 15 ap. Gell. XIII 25, 15 (advorsus Rott. adversus Reg. Vat.) 24, 3. Similiter in adiectivo advorsi 22, 4. advorsae 22, 5. contra vertunt 73, 4. 86, 1. versus 58, 12 cf. Corssen II, p. 65.

His vocabulis statim adiungenda sunt vocabula Vulcanus. frg. 13, 3. vulnus frg. 19, 10. 11. r. r. 157, 3 bis 4. fluvius frg. 28, 4. 15, 7. 25, 7. 15, 4. 15, 6. vult frg. 59, 5 alia, in quibus syllabae uu, vu, uv, extant.

Catonis est scriptura uo, vo, ov, quae inscr. et Plauti libris mss. confirmatur. Corssen II, p. 98. I, 670 nec non semper in Sallustio, antiquorum scriptorum imitatore, invenitur cf. Bruennert. l. c. Dietsch ad. Sall. Iug. 85, 41. Vetustioris rationis scribendi vestigium restat in convolvolus r. r. 95, 1 bis et in forma volt frg. 11, 4 ap. Varr. r. r. II, 4, 11 quam formam recte coniectura restituit Jordanius (volet codd.).

Ut igitur in eis vocabulis, quae modo tractavimus, partim formae vetustae et genuinae servatae, partim mutatae sunt, ita res se habet in vocabulis e Graeca lingua desumptis, in quibus vocalis y extat. Cum enim haec vocalis Ciceronis demum temporibus in literarum Romanarum ordinem transierit Cic. or. XLVIII, 160. Mar. Vict. p. 8, 11. K. apparet recte se habere formas: cuminum r. r. 119. 121. 156, 5. 7. 157, 9. amulum 87. cotula 146, 1. serpullum 73. murtum 8. 51. 125. 133. 101. cupressus 28. 48. 151. culigna 132, 1. zmur-

naeum 102. Recentioris igitur grammatici vel librarii manui debentur: cypriam 8. 133. gypsum 39. encytum 80. cyatos 109. 115. 123. 158. epityrum 119. dyspepsiam 127.

Eadem discrepantia extat in frgg. ubi culigna 73, 14. elephantus Surus 20, 10. Thermopuleis 36, 10 regulae respondent, Pylade 15, 8. Pyrenaeum 34, 8. symbolos 37, 14. Thermopylas 19, 16. Illyrio 25, 6. manum recentiorem indicant cf. Schneider I, p. 38 sequ. Wagner orth. Verg. p. 482.

Aliam rationem, qua veteres a recentioribus recedebant, indicat idem Cicero or. XLVIII, 160: quin ego ipse cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem dicerem; aliquando idque vero convicio aurium, cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi servavi cf. Quint. I, 5, 12. Fest. p. 71 M. Corssen I, p. 12 sequ. Schneider I, pag. 198 sequ. quocum inscriptiones vetustae consentiunt C. J. L. I, ind. p. 600 col. 3, 4. Mommsen dial. Ital. inf. p. 33. et quos praeterea affert Corssen l. c. Quare quod in frgg. semper, in libro de agr. saepe aspiratio adhibetur ut r. r. 149, 2 cantherio. apsinthium 159. pharmacopola frg. 58, 3. Antiochus frg. 39, 11. Karthaginienses frg. 20, 12. pulcher 28, 5. 25, 7. 28, 6. 39, 6. 39, 7. 66, 3. Thermopylae 19, 16. 36, 10. trochileas r. r. 3, 5. Chaldaeum 5, 4. raphanos 6. delphicam 8, 2. amphoras 10, 2. 13, 2. 113. schoenum 105, 2. recentiorem manum indicant. Vetustum servatum est in: orcitem r. r. 6. 7. 20, 2. sulpur 39. 95. encytum 80. spaerita 82 aliis, quae omnia enumerare longum est. Quod vero Dietzius disputat antiquiorem scripturam servasse librum de agr. cum eo, quod haud raro vice x

literae posita sit litera s vel ss. cf. Schuchardt I, pag. 132. Corssen symb. crit. p. 495. pronunt. I, pag. 296. tum quod mediae et tenues consonae inter se commutentur, librariorum vitia vetusto sermoni Latino vindicare conatur. cf. Jordan. Hermes XV, p. 1 sequ. Etenim in his rebus nunc in nova Keilii editione plurima recte constituta sunt. nam sestarius r. r. 10, 2. 158, 1. 2. destra 18, 2 nunc recte in dextra et sextarius mutata sunt, lassus et laxus vero omnibus temporibus inter se miscebantur. Deinde quae legebat quod annis 47. 73. 143, 3. adque 22, 1. 48, 1. 82. aliquod dies 157, 15. quod pro quot 14, 4. 40, 3. 43, 2. 62. regentes 25, quae summae vetustatis testimonia esse ei videbantur, ea Keilius suo iure correxit, cum nihil sint nisi librariorum vitia aut grammaticorum inventiunculae. Scriptura adque vero minime vetusta est, sed circa Augusti demum aetatem in libros mss. irrepsisse potest. cf. Ritschl. opusc. IV, p. 164 not. Idem dicendum est de vocabulis opsequito r. r. 5, 6. suptile r. r. 143, 3. opturari r. r. 154. aput 46, 2. set frg. 41, 10. haut 16, 9. 23, 7, ex quibus aput, set, haut certe recentiorem scripturam exhibent, cum inscr. vetustis tantum confirmentur formae apud, sed, haud cf. Corssen I, 192 sequ. C. J. L. ind. s. v. Omnino haec vacillatio inter d et t de grammaticis Augusti tempore florentibus nos commonet, qui inter se discrepant, utrum in fine vocabulorum d an t scribendum sit.

Vetustiorem scripturam tantum exhibent opsequito, suptile, opturari, in quibus media consonans praepositionis tenuibus p et t et sibilanti s similis facta est, secundum quam assimilationem vetustis temporibus, ut pronuntiatio flagitabat, semper scriptum esse inscriptiones indicant cf. Corssen I, p. 119. cum demum inde a bello

Cimbrorum altera scriptura, quam etymologia postulat, paulatim irrepserit. Qua re formae quales observavisse frg. 49, 6 obsonat 44, 9. obstinatus frg. 40, 3. substernatur r. r. 5, 7. observari r. r. 6, 1. 4 Catoni abiudicandae sunt. cf. Corssen pag. 113 sequ. Denique scripturae faenum, fenore, cenas, quas rectas esse Gell. XVI, 12, 7. 8 et fragmentorum codd. frg. 73, 14. 39, 10. 21, 3 testantur, nunc recte in Keilii editione r. r. 5, 8. 8, 1. 27. 35, 1. 156, 1. 157, 12. pro nonnullorum mss. scriptura foenum, coenari, quae in libris mss. noni demum saeculi invenitur, restitutae sunt cf. Corssen I ^{2}, 324 sequ. Fleckeisen 50 artikel p. 10 sequ.

De formis sumptuosus emptitavere, nassiternas vero, quas maxime antiquo mori respondere Dietzius censet, vide Corssen p. 122 et 282, in quibus et ipsis nunc complura aliter et rectius ex libris mss. constituta sunt. cf. Keilii editionem eis locis, quos Dietzius affert.

Praeterea Dietzius p. 5 disputaverat, sermonis esse vulgaris literas quasdam extrudere mediis e vocabulis et abicere in extremis, quo breviores nascantur formae incitatiusque procedat oratio. Quare in nonnullis libri de agricultura proprietatibus linguam vulgarem cognovisse sibi videtur, quamquam quae affert partim falsa alioque loco tractanda sunt, partim ad frgg. et ipsa pertinent. Quae primo loco dicit de compositis, partim iam alio loco tractata ut dehorito, partim falsa. e. g. quae dicit de intelligendo et intellegendo, partim omnibus temporibus usitata erant. De formis defetigatum frg. 19, 11 et decerpito r. r. 112, 3, quas vetusto sermoni accommodatas esse recte dicit cf. Corssen II, pag. 416 sequ. Bruennert l. c. Proxima bene distinguenda sunt: Catonem vacillasse inter formas siveris r. r. 4, 1 et desierit r. r.

155, 2. concedi potest, sed r. r. 44, 3. mihi cum Jordanio oletum scribendum esse videtur. (cf. Hermes XV, p. 13 oletum 1, 7. 3, 5 bis. 6, 2. 61, 1. coniciendum 10) et forma siris in carmine vetusto legitur. posui r. r. 37, 3. 162, 2 frg. 56, 4 sine dubio mutandum est in posivi, formarum inrigivus et irriguus utramque usitatam fuisse posse ex eis efficitur, quae Jordanius l. c. p. 17 disputat, quare non est, cur irriguus mutemus r. r. 1, 6. 149. 151. Semivocalem j ante vocalem i omnibus temporibus scriptum non esse constat. cf. Corssen I, pag. 309. quare recte se habet, quod semper in libris mss. exhibentur formae deicere 3. 32, 2. 33. 117. 156, 2. 158 coicito 33. 37. 54. 83. 156. 157. traicito 52. abicito 108. reiciat 67. abicito 108. inicito 114. 115. eicito 119. 156, 4. Similiter h et r eiecta esse in prendere r. r. 160. 90 frg. 51. 4 et susum r. r. 157, 15. 33, 1. 61, 1. deosum 162, 1 recte Dietzius annotat cf. Corssen II, p. 575. 580. 714. I 243. 109. Has formas linguae vulgari accommodatiores fuisse, negari non potest; cum vero brevis forma prendere inveniatur in libro de agr. eademque in frgg., efficitur, in utroque Catonem eadem lingua usum esse.

Pro ficulnus, quod Dietzius r. r. 30. 37, 5. servare studet, Keilius recte ex scriptoris sermonis consuetudine ficulneus scripsit. formae calfacio r. r. 69. 76, 2. 110. 157, 10. arfacio r. r. 69, 1. 125. 157, 12. caldus 6, 1. 2. 65, 2. 75. 76, 4. 79. 80. 157, 8. 10. expostum 151, 2. posturus 161, 3 certe linguae vulgaris consuetudini respondent et semper a Catone ita adhibitae sunt, ita ut calidus r. r. 81. 156, 2. 157, 3. 4. mutare non dubitem ut etiam r. r. 74 et 104, 2. ubi solistitium et depsiticius Dietzius legebat, nunc solstitium et depsticius recte restituta sunt.

Ut iam igitur finem disputationis de orthographia Catoniana faciamus Festus p. 242. M. dicit.

— s, Cato saepe dicit ut . . . . . .

boses, loco r dicebant . . . . . .

proprie mari opus est; quae verba Muellerus ita supplevit:

Papisios, Cato saepe dicit ut antiqui s etiam in robose et arboses loco r dicebant . . . . . properie mari opus est.“ p. 395 haec addens: Quod Papisios posui: non ignoravi quidem iam Papirium Crassum dictatorem a. u. 413. Papisium vocari desitum esse (ut refert Cic. ad fam. IX, 21) et Appium Claudium censorem a. 441. primum Valerios et Furios dixisse, sed putavi Catonem etiam circa a. 600 in Papiriorum nomine antiquam consuetudinem sequi potuisse ut quaedam Furiorum familiae etiam posteriore tempore Fusii dicebantur.“ Hinc Dietzius pag. 8 summa iniuria concludit. Catonem saepius rhotacismum, qui dicitur, vitasse, quamquam tria tantum exempla extarent: robus r. r. 17, 1. melios r. r. 4, 1. honos frg. 51, 1. 83, 2. Videtur in hac re Corssenium secutum esse, qui et ipse disputat, in exitibus **s** rhotacismo in **r** mutari, vetustum vero servatum esse in honos C. J. L. I, 33, 34. Mon. Ancyr. R. g. d. Aug. Mommsen p. 146 lepos. robus Cato r. r. 17. melios carm. Sal Varro l. l. VII, 26.

Ut praetermittam, quod r. r. 4, 1. nunc recte in Keilii editione melior restitutum est (melior V. A. melius R. Vict.) quae Dietzius disputat, plane perversa sunt. Neque enim in nominativis labos cet. **s** per rhotacismum in **r** mutatum est, quia tales leges, qui ad sonorum mutationes pertinent, semper vim habent, neque interdum negleguntur, nisi certae causae extant, sed postquam in reliquis casibus **s** per rhotacismum in **r** mutatum est,

in nominativis per analogiam, quae dicitur, **s** consonantis in locum **r** substitutum est, ita quidem, ut in aliis vetustis iam temporibus **r** consonanti **s** cederet, in aliis **s** diutius servaretur. Rhotacismi vero lex iam diu ante Catonis tempora vim habere desiit. Quare illo Festi loco, cum exitum — os apud scriptores antiquos usitatissimum fuisse Sallustii imitatione confirmetur cf. Bruennert l. c., fortasse talis nominativus excidit, quod consonans **s**, quae reliqua est, indicat. Hic vero nominativi exitus fortasse eo confirmabatur, quod antiquos in casibus obliquis quoque s pro r dixisse annotabatur. Neque tamen ex illo Festi loco colligere licet, Catonem saepius vocabulis, in quibus rhotacismus nondum inveniebatur, usum esse, quod inscriptionibus satis refellitur. Sine dubio Papisios, quod Muellerus supplevit, rectum esse non potest, quia nomina propria Romana in — sius exeuntia omnia indicant eos, quibus sunt, in Italia media vel inferiore, non Romae natos esse, ita ut cum Romam transmigrarent, nomina eorum vetustam **s** servarent, quare in nominibus gentium Romanarum ante bella cum Pyrrho gesta **s** in **r** mutatum esse verisimile non est. cf. Jordan. symb. crit. p. 89 sequ. Corssen p. 228 sequ. Curtius etym. Graec. p. 453 sequ. Brugmann in libro „Morpholog. untersuchungen", I, p. 130.

Ex eis igitur, quae adhuc de orthographia, quae in Catonis libro de agr. invenitur, disputavimus, primum efficitur nullo modo confirmari, quod Dietzius dicit, in libro de agr. Catonem usum esse lingua vulgari, in reliquis vero libris, ex quibus fragmenta tantum servata sunt, lingua urbana. Complures enim proprietates linguae vulgaris et in libro de agricultura et in frgg. inveniuntur, aliae solae fere in frgg. extant, unde satis apparet Catonem et in libro

de agricultura et in frgg. eodem sermone usum esse, nimirum lingua vulgari paullo politiore.

Deinde vidimus eius rationis scribendi, quam Catonis aetate solam usitatam fuisse inscriptiones vetustae et grammaticorum testimonia ostendunt, nec in libro de agr. nec in frg. multa extare vestigia, immo et fragmenta et librum de agricultura vestem plane novam induisse, quae magis Augusti imperatoris aetati quam alteri ante Christum natum saeculo accommodata sit. Quare videndum est, utrum omnes hae innumerabiles mutationes librariis imputandae sint an omnia Catonis scripta, quod attinet ad rationem scribendi, novam recensionem passa sint, de qua nostri libri manaverunt. Atqui Ritschelius in libro ‚Neue plautinische excurse I, p. 109 ostendit Plauti comoedias, cum iterum ac saepius agerentur, mutatas et in recentiorem formam redactas esse, quod ut illustret, optime eas mutationes affert, quas scriptorum sacrorum versio, quam Lutherus confecit, per complura saecula subiit. Dixerit quispiam eodem modo Catonis opera, quae sine dubio saepe legebantur, paullatim recentiorem vestem induisse. Neque tamen res plane eadem est. Quamquam enim Plauti comoediae paullatim per librarios et actores in recentiorem formam redactae sunt, tamen permultis locis vetustae formae in libris mss. servatae sunt. Atque quamquam dici potest, saepissime metro prohibitum esse, quominus nova forma vetustae in locum substitueretur, tamen permultis locis vetustae formae servatae sunt, ubi recentiores et ipsae metro responderent. In Catone vero vetustioris rationis scribendi nullum circiter extat vestigium, immo omnibus locis ea exhibetur, quam Ciceronis et Augusti aetate usitatam fuisse inscriptiones ostendunt. Accedit quod apud Plau-

tum variae formae inveniuntur, quarum aliae alii orthographiae Latinae aetati accommodatae sunt et testantur varias vestes Plauti comoedias induisse (cf. Ritschl. opusc. II, 622 sequ.) apud Catonem constanter eadem ratio scribendi tenetur, quod certe factum non esset, si paullatim per librarios ea mutata esset. Nonnullae vero formae, quae colorem vetustum non plane amiserunt velut gerundium in — undus, superlativi in — umus, vorto, vorsus cet quoius, hoius, quom sententiam nostram non refellunt, quia ne Ciceronis et Augusti quidem aetate plane inusitatae fuerunt (Corssen II, 181. 182. Buecheler mus. Rhen. 297 et quae ad singula vocabula disputavimus) immo indicant, novam illam Catonis scriptorum recensionem Augusti imperatoris aetate factam esse. Aliae velut f i c o s s a c o n t i n a s cet, mutatae non sunt, quia non iam intellegebantur aut termini technici, quos nos barbare dicimus, erant. Quare mea quidem sententia colligere licet et librum de agricultura et reliquos Catonis libros, quippe qui saepius legerentur, Augusti aetate recensionem passos esse, qua vetusta ratio scribendi iam antea per librarios hic illic novata plane expelleretur.

Pars II.

De Flexionibus.

Quae ad hoc caput pertinent, ea Dietzius multo accuratius tractavit, quare multis in rebus eum respicere possumus neque opus est omnes proprietates, quas affert, iterum enumerare.

In primae declinationis genetivo exitum usitatum — **ae** omnibus locis usurpari iam supra vidimus. Accedit exitus — **as**, qui nonnumquam invenitur in genitivo vocabuli familia. In libro de agr. extant hae formae: pater familias 2, 1. patrem familias 2, 7. patrem familiae 3, 2, denique fortasse in frg. orationis de lege Orchia ap. Fest. p. 242. M. 53, 1. J. patris familiae, quamquam Festus Catonis verba non ad verbum citat. Neque tamen persuadere mihi possum, Catonem in hac re sibi constantem non fuisse, sed videtur semper scripsisse pater familias pariter ac Plautus et Terentius semper dixerunt mater familias cf. Neue I, 6. genitivum familias confirmat tabula Bantina, cum familiae exhibeant duo tituli multo recentiores. C. J. L. I, ind. p. 580, col. 1. dativus filiabus semel extat frg. 28, 10. J.

In secunda declinatione genitivorum pluralis in — um exeuntium hi extant: dium frg. 47, 16. deum frg. 73, 12. triumvirum frg. 58, 8. 69, 5 deorum. frg. 77, 9 ap. Plin. n. h. XXIX, 7, 14 sequ., ubi libri mss. opicos exhibent (hoppocos Voss. Par. hoppificos ex hoppicos, corr. Ricc.) O. Jahnius act. soc. literarum Sax. II, 266 genitivum Graecum Opicon recte restituit. In libro de agr. similiter fingitur genitivus culleum 11, 1. r. r.

63 et 135, 5 contra, ubi Dietzius genitivum lorum cognovisse sibi videtur, nunc recte in Keilii editione legitur lora.

Denique frg. 15, 7 genitivi Rheginum atque Taurianum, quales a nominibus gentium saepe derivatos esse constat cf. Neue I ², p. 114, quamquam nescio an accusativi adiectivorum sint, qui ad finem referendi sunt. Neue I, p. 103. Corssen I, 269. 587 sequ

Exitum — im in Catonis libris haec exhibent vocabula tertiae declinationis: pelvim r. r. 10, 2. 11, 3. securim r. r. 13 frg. 14, 4. sementim r. r. 17, 2. 27 saepius. 30. 33, 1. 34. 35, 2. 54, 1. 61, 2. febrim r. r. 157, 9. lentim r. r. 35, 1. 116 saepius 132. 2. cummim r. r. 69 bis. restim r. r. 77. messim r. r. 134, 1. cum omnes reliqui accusativi secundum regulam usitatam in — em exeant velut civem praef. imbrem 2. 5. 39. vitem 7. 32. 33. clavem 13. canalem 18. orbem 18. 21. 22. ignem 81. Quin accusativi in — im, quos enumeravimus, recte se habeant, dubitari nequit, cum omnes aliorum scriptorum locis confirmentur cf. Neue I, p. 196 sequ. Vocabuli pars sensu proprio Cato adhibet accusativum partem, in quo vetustam formam partim fuisse ostendit. adverbium partim et usus Lucretii Neue I ², 204. Efficitur iam vetustissimis temporibus Romanos formae partim oblitos esse eaque de causa novam formam partem finxisse, quod etiam magis eo confirmatur, quod partim duobus Catonis locis nominativi vice fungitur frg. 64, 8. 23, 7. Neue I, 205.

Complures ablativi in i inveniuntur, qui aurea aetate linguae Latinae in e exeunt, quo paullatim eas stirpes, quae i vocali concluduntur, in declinationem earum, quae in consonantem exeunt, transiisse confirmari Dietzius recte annotat. Omnium temporum consuetudini respon-

det, quod Cato ablativum in i adhibet in siti frg. 78, 6. iri r. r. 107. mari r. r. 96. 112. leni r. r. 95. 107. salubri 14. pestilenti r. r. 14. silenti 29; 40 (cum 31 luna decrescente, 131 piro florente sit, quia ablativi absoluti sunt) intermestri 37 Octobri frg. 48, 5. omni frg. 9, 1. 70. 3. Tiburti frg. 13, 11. contra in agro Casinate r. r. 136 in omnibus codd., sed notandum est, quod sequitur vox a vocali e incipiens, in quam fortasse librarii oculi aberrabant. Inusitatior est ablativus febre, quem r. r. 156, 6 codd. exhibent, qui corrigendus videtur in febri propter locum frgg. 78, 6, et accusativum febrim, cum Cato semper eis vocabulis, quae in accusativo exitum — im habent, in ablativo exitum i tribuat. cum orbi r. r. 18, 9. (cum orbis P A R, cum orbibus v.), funi r. r. 22, 1. igni r. r. 95, 1. 110. corbi r. r. 136 bis (altero loco corbi P A R corbis v. altero pariter), parti r. r. 136 ter (primo loco parte octava V A R, altero parti R. Vict. P. parte V. v. A, in quo parte quinta — corbi dividat in margine scripta sunt, tertio parti P A R. parte v.) parte contra r. r. 52 frg. 35, 12. 85, 3. r. r. 136. 141, 1 sed animadvertendum est, eis locis, ubi parti exhibetur, semper nomen numerale addi, aliis non addi, quare in hoc verborum nexu ablativus parti pariter atque accusativus partim adverbii fere loco usurpatus esse videtur, ita ut non mutaretur, quamquam in alio verborum nexu ablativus in e usitatior fiebat. Ex his quoque formis pleraeque aliis scriptorum Romanorum locis confirmari possunt, ita ut, quin recte in Catonis libris mss. traditi sint, dubitari nequeat.

Formas temperi vero r. r. 2, 1. 3, 4. fini r. r. 28, 2 cf. Gell. I, 3, 16. 21, 3. 113, 2. 154. 149, 1. (fini Turnebus adv. X, 18. finis V A R). die proximi frg. 50, 3. die quinti frg. 21, 2. locativos esse, non ablativos recte

Dietzius annotat. Ac nescio an corbi eis addendum sit. Temperi enim non esse ablativum inde efficitur, quod usitatus ablativus tempore compluribus locis invenitur cf. frg. 70, 3. 82, 4. r. r. 38. Praeterea haec forma commemoranda est propter vocalem e ante r., de qua vide Brugman in quaestionibus morphologicis III, p. 21.

Ablativi reliquorum vocabulorum tertiae declinationis, quae apud Catonem inveniuntur, quorum stirpes in consonantem exeunt, omnes e vocali concluduntur, ut apud omnes reliquos scriptores Latinos. Item in genitivo pluralis et nominativo pluralis neutrius omnia vocabula regulas usitatas sequuntur, ita ut ne de eis quidem quidquam annotandum sit praeter quam quod Cato usus est formis inusitatis pluria et compluria frg. 8, 16 ap. Gell. V, 21, 6. quam formam Keilius obss. crit. p. 44 ex coniectura verisimillima restituit r. r. 7, ubi in codd. legitur compularia cf. Dietze p. 17.

Addendae sunt nonnullae formae singulares, r. r. 62 in codd. P. A. b. f. a vocabulo bos derivatus est genitivus boverum (bo sequente lacuna paucarum literarum c, boum v. „In manuscriptis quos vidi boverum: in optimo exemplari mendi nota ad hunc locum apposita est.“ Victorius), r. r. 22, 3 exhibetur genitivus utitatus boum. Similes formae saepius inveniuntur cf. Neue I ², 283, de quarum explicatione conferendus est Buecheler decl. pag. 79. Hic vero genitivus boverum coniunctus est cum vocabulo iuga, ita ut fortasse recte coniciatur, greges boverum, iuga boverum linguae rusticae accommodata fuisse et inde a Catone translata esse in librum suum. Rara forma est ablativus trapetibus r. r. 18 derivatus a nominativo trapetes cf. Varro l. l. V, 31, 138 et nom. trapetus 22, 3.

Solus extat dativus, ablativus bubus velut r. r.

5, 7 bis. 6, 3. 11, 4. 27. 37, 2. 54. 60. 70. 73. 83. 131. 137. 149. holeris r. r. 149. holeribus contra 156, 1. Neque tamen ex forma holeris quidquam colligi potest, quia in formula usitata usurpatur, quare forma holeribus ea esse videtur, qua Cato uti solebat. Comparari potest forma iugeris frg. 89, 12. Charis II, pag. 134. K. Quartae declinationis vocabuli domus locativus domi saepius invenitur. frg. 47, 16. 49, 7. 69, 6. 83, 1. accusativum domum frg. 15, 6. ablativum domo r. r. 132, 1. Praecipue dignus est, qui commemoretur, dativus domo, qui saepius invenitur, sed semper in eadem formula r. r. 134, 2 bis ‚uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae' r. r. 139, 141, 2. 3. Praeterea non extat nisi C. J. L. III, 6463 et acta fratr. Arv. a. 218 col. 23. 24. loco dativi (Neue I ², 250) cum Hor. ep. I, 10, 13 praeferendum sit ‚ponenda domo', quia constructio exquisitior est et satis comprobatur locis, quos affert Neuius I ², 194 et Blandinio vetustissimo cf. Sauppe philol. XIX, 253. Certe ex illis locis efficitur in vetusto sermone Latino dativum domo usitatum fuisse, nam illas formulas vetustissimas esse totus color capitum illorum et res ipsa docent.

Nonnullis quartae declinationis vocabulis Cato genitivi exitum — i tribuit. quem vetustis temporibus usitatissimum fuisse, maxime in vocabulo senatus, inscriptiones docent (C. J. L. I, ind. 603, 2.) et Plauti libri mss. et Sallustii imitatio cf. Brunnert. l. c. Corssen, II, 738. Buecheler p. 31. Neue I, p. 352. Formae, quae apud Catonem extant, sunt: sumpti r. r. 22, 3. 21, 5 (altero loco sumpti P A R sumptui cod. Laur. 30, 10. sumptu v. altero sumptui P A R v. sumpti Jucundus) fructi r. r. 4, 1 (V R fructu[s] A) Ritschelius has formas ita explicat, ut ex priore forma exitus — uis

dempto ut in prima secunda quinta declinatione sibilo evaserit ui, quod contractum sit in i (opusc. IV, 169 sequ.) Quam explicationem recte reiecit Neuius I ², 352, qui haec substantiva in secundam declinationem transisse suo iure statuit cf. etiam Corssen II, p. 738.

Ablativus testu, quo veteres uti solitos esse Fl. Caper ap. Charis I, 17 p. 118 K confirmat, apud Catonem bis invenitur r. r. 74, 75. sed utroque loco in verbis coquito sub testu, aliis locis formae secundae declinationis testum accusativus r. r. 76, 2. 84. ablativus testo 76, 4. 84.

Constat complura nomina quintae declinationis in — ies exeuntia in nonnullis aut in omnibus casibus alias formas fingere, quae primam declinationem sequuntur, ex quibus ap. Catonem maxime commemoranda sunt materies et muries. nominativus materies r. r. 6, 3 (materies Varro, materia V A R) 17, 1 saepius. 31, 2. accusativus materiem 14, 3 bis, priore loco sine discrepantia scripturae, altero materiam praebent P A R v. idem r. r. 31, 2 bis. 37, 4 bis, priore loco in omnibus codd., altero materiem b. c. materiam V A matiem f. r. r. 123. 151, 2. ablativus materie 39, 1. dativus materiae 18, 6. ablativus materia 21, 5. 111. Nominativus muries extat r. r. 88, 2. (praeter hunc locum non nisi ap. Fab. Pict. ap. Non. 223, 17 p. 158 c. 28 sequ.) nominativus muria r. r. 105, 1. accusativus muriam r. r. 88, 2. 105, 1. ablativus duritia frg. 43, 6, cum apud alios scriptores etiam forma durities extet.

His nonnulla adiungenda sunt de genere nominum, quod Dietzius quoque tetigit p. 16. sed parum accurate. Cum enim Cato in compluribus substantivis id genus usurpet, quod omnibus temporibus usitatum erat, in aliis eo genere uti videtur, quod posterioribus demum temporibus

usitatum erat, in aliis in frgg. vetusto, in libro de agricultura recentiore. Quod vero Dietzius disputat multo maiorem partem exemplorum vetustae rationis esse in libro de agricultura, plane perversum est, immo nos videbimus librum de agricultura non in orthographia solum, sed etiam in genere nominum complures recentiores formas praebere.

alvus gen. masc. frg. 78, 7 ap. Prisc, IV p. 268 H, qui dicit veteres frequenter alvus masculino genere protulisse eiusque testem Catonem affert (cf. Neue I, 650) in libro de agr. semper feminino r. r. 114. 115. 125.

Caseus plerumque masculinum, neutrum r. r. 76, 3. 4. qua in re vetustum servatum esse videtur cf. Neue pag. 581.

clypeus pro clypeum frg. 30, 10 Neue I, 532. symbolos pro symbola frg. 37, 14 (Neue 539) in libro de agr. non extant. asparagus ut semper masculinum r. r. 161, 2. Neue 624.

Culleum frg. 10, 22 neutr. secundum grammaticum de genere nom. p. 76., in agr. masc. 148, 1.

A vocabulo trapetum contra formae et masculini et neutrius generis derivantur: nom. trapetum r. r. 135, 7. trapetus 22, 3. acc. 20, 1. 22, 1. ablativus trapeto 22, 4. nom. plur. trapeti 18, 5. acc. trapetos 22, 4. 12. Sed num haec tanta vacillatio in libro tam parvo Catoni tribuenda sit, mihi valde dubium est. Similiter res se habet in vocabulo qualus, cuius extat accusativus qualum r. r. 52, 1. 2. abl. sing. qualo 52, 1. 2. bis. 76. nom. plur. quala 23. acc. plur. quala 11, 5. qualos 52. modium pro usitata forma modius r. r. 58. acina r. r. 112, 2. Neue p. 544., contra accusativus pluralis rastros, cum nominativi forma usitata rastrum sit. r. r. 10, 3. 11, 4. qua in forma genuina scriptura servata esse

videtur. Neue 547, denique lupinum pro lupinus r. r. 34, 2. 37, 2. tributus frg. 30, 5, ficus masculinum r. r. 42. cf. Neue p. 622, item muscus r. r. 6, 2. ut semper.

Ex nominibus declinationis tertiae papaver masculino genere usurpatum est in origg. l. II, teste Char. I, pag. 83 K. cf. frg. 11, 7. in agr. semper neutro 79. 84. Verum sine dubio servatum est in frg. Non. pag. 220 Prisc. V, 8, 44 p. 170 K. Neue I, 625.

Substantivum linter plerumque femininum esse constat. Apud Catonem r. r. 11, 5. dicit Neuius partim lintres duos, partim lintres duas, partim lintres II scribi, ita ut genus et lectio incerta sint, sed in omnibus codd. luntris vel lintris II exhibetur, ita ut genus constitui non possit. Cancer contra, quod teste Priscano V, 3, 16 p. 151 de morbo dictum apud vetustissimos neutrum erat (Neue I ². 656) r. r. 157, 3 masculine profertur.

Vocabulorum in — is, quae in genitivo parem syllabarum numerum habent atque in nominativo, cum permulta apud scriptores aureae aetatis masculini generis esse constet, Cato compluribus aliud genus tribuit.

Canalis plerumque masculinum (Neue I ², 673) feminini generis est r. r. 18, 6. cum in eodem capite 2 extet ‚canalibus duobus' sine ulla discrepantia scripturae et ex paragraphis 5 et 8 genus cognosci non possit.

Corbis vocabuli, quod masculine proferendum esse Priscianus docet (Neue I ², 674) genus cognosci non potest, sed femininum fuisse colligi potest ex deminutivo corbula r. r. 11, 5. 33, 5. 28, 1.

Scrobis (Neue I ², 676) masculinum r. r. 43, 1; r. r. 28, 2 genus cognosci non potest.

Vectis quoque testibus grammaticis (Neue I ², 677) duplex genus habebat; apud Catonem omnibus locis, quibus genus cognosci potest, masculinum est cf. r. r.

3, 5. 31, 1. finis contra in locativo coniuncto cum pronomine relativo ut semper femininum cf. r. r. 149, 1. 154. 21, 3. Denique praesepes genere feminino r. r. 4, 1. 14, 1. cuius nominativus apud alios scriptores praesepe est, sine dubio mori antiquo accommodatum, amnis fem. r. r. 1, 3.

Nomina in — ex exeuntia plerumque masculina esse constat, generis communis testimonio grammaticorum (Neue I, p. 663, 622) imbrex et silex, quorum illud feminine usurpatur r. r. 21, 3, hoc masculine r. r. 18, 5. calix semper masculine r. r. 39, 2. 80. 133, 3. Accusativum irpicem Serv. ad. Verg. Geo. I, 95 feminino genere usurpat, cum masc. sit. Varr. l. l. V, 31, 136 (Neue I ², 664). Sed errat Neuius confirmans ap. Cat. quoque r. r. 10, 2. masculinum esse in verbis irpicem unum, nam in libris mss. nihil extat nisi signum I. Fornax, de cuius genere grammatici inter se discrepant (Neue I ², 665) femininum est. r. r. 38, 1. 38, 3. Denique vocabulum calx teste Charisio exc. art. gramm. p. 552 K masculinum (Neue I ², 666) hoc genere apud Catonem pariter atque omnibus reliquis locis, quos Neuius collegit l. c., non usurpatur nisi ‚calce harenato' r. r. 18, 7 bis, cum femininum sit r. r. 16. 18, 7. 38, 4.

Stirps masculinum r. r. 40, 2, commune testimonio grammaticorum Neue I ², 668. Sal apud vetustissimos testibus grammaticis interdum neutrum erat, apud Catonem semper masculinum frg. 14, 9. (28, 7 genus cognosci non potest) r. r. 88, 1. cupido masc. frg. 47, 14. Accedunt pulvinus pro neutro pulvinar r. r. 11, 5; 13, 1. fabulus pro fabula r. r. 70, 1. asseres. masc. r. r. 14, 1 sed asserculum r. r. 12.

Vidimus igitur in compluribus vocabulis Catonis grammaticorum testimoniis genus vetustum confirmari,

in libro de agricultura vero recentius inveniri, quod et ipsum suspicionem movere potest, non solum in ratione scribendi Catonis vestem vetustam novis pannis foedatam esse, sed hanc novandi cupiditatem etiam latius progressam esse et complurium formarum vetustarum in locum novas substituisse, quamquam ex his vestigiis certum colligi vix potest.

Certe Dietzii sententiam librum de agricultura magis servasse vetustum colorem falsam esse facile cognoscitur.

Vetustus color contra ut in frgg. ita in libro de agricultura servatus est in compluribus nominativis, ubi Catonis libri mss. formam longiorem exhibent, quae postea mutata et mutilata est. Ita legitur lacte frg. 85, 11. r. r. 86. 150. cf. Ritschl. opusc. II, 330 sequ. 574 sequ. Neue I ², 553. supellectilis frg. 60, 1 cf. hiemis r. r. 30 (hiems V) vomeris r. r. 135, 2 (vomeris V A R et codd. Victorii, vomis Jucundus cf. Keil. obss. crit. p. 57.)

Vocabuli vas formis maxime variis Cato usus est: Praeter accusativum vas, quo saepius utitur in libro de agr. ut 83. 101. 105. 106. 107. 126, extat nominativus vasum frg. 72, 22. ille confirmatur ablativo vase aheneo r. r. 122, hic ablativo vaso r. r. 66 in eodem verborum nexu vaso aheneo (vase v). 70 vaso ligneo (vase V A R). 71 idem vaso ligneo (vaso A R Vict. vase V). In plurali numero usitatae formae, quae secundam declinationem sequuntur, usurpantur, nominativus vasa 1, 5. 135, 2. accusativus vasa 10, 2. 11, 1. 14, 3. 19, 1. 26. 67, 1. 146, 3. dativus vasis 135, 4. ablativus vasis 145, 1. Similem vacillationem indicat nom. plur. speca frg. 85, 13, quamquam nominativus sing. specus quartam declinationem sequitur, velut loco nominativi gelu, qui testibus grammaticis (Neue I ², 348) usitata forma est, etiamsi duobus locis maxime suspiciosis invenitur, Cato r. r. 40 nominativum gelu

adhibet (gelus P A R et codd. Victorii, gelu v), unde derivatus et accusativus gelum frg. 14, 5.

Haec quoque vacillatio accommodata est linguae vulgari, cum enim initio duo nominativi diversarum declinationum extarent, paullatim alteri casui alteram declinationem tribuere coeperunt, dum tandem una declinatio alteram plane vinceret, ut in vocabulo vas in lingua urbana postea in singulari usitata erat declinatio tertia, in plurali declinatio secunda. Cum igitur in his vocabulis longior forma usitata esset, in aliis, quae Dietzius pag. 16 colligit, in Catonis libris forma veloci pronuntiationi linguae vulgaris accommodata sola extat, ita sanguen frg. 19, 11. 65, 5. Anien frg. 48, 4. Genus formae sanguen ex his locis cognosci non potest, sed. ap. Enn. ann. 117. V. frag. 228 generis neutrius est. Sequitur ut Dietzii sententia, qui sanguen mutilitatum esse ex sanguinis, falsa sit. Mansues vero pariter ac damnas ex damnatus ex mansuetus mutilatum esse et deinde in declinationem tertiam transiisse videtur cf. Neue II ², 96, illud extat frg. 84, 1. hoc 24, 12. Forma trapes, quam Dietzius sibi finxit ex r. r. 145, 1. 18, 2. ex eis, quae supra disputavimus, recta non est.

Contra cum illis formis comparari possunt ex adiectivis secundae declinationis complura, quorum stirps r litera concluditur, quae in nom. sing. masc. modo exitum — er, modo — erus habent, ut prosper vel prosperus cf. Prisc. IV, 3, 19 p. 128. Apud Catonem ex his adiectivis commemorandum est citer frg. 65, 7 (Neue II ², 4) quocum consentit in agr. super inferque 149 cf. Neue I ², 3. r. r. 22, 3 in editionibus ante Keilium nominativus ceterus legebatur ‚ceterus ornatus' quem cum nusquam inveniatur nisi falso ap. Plin. n. h. XXVIII, 4, 9. in codd. Voss. et Ricc. Neue I ², 4 additamentum esse librarii,

qui quamquam sermonis Latini imperitissimus erat, scriptorem emendare se posse putavit, nunc. recte cognitum est. Ceterum reliquae singularis formae huius adiectivi, quae apud alios scriptores rarae sunt, cum plerumque pluralis numerus extet, apud Catonem saepius inveniuntur, sed semper coniunctae cum collectivis ut cetera lex r. r. 14, 5 (lex quasi summa praeceptorum) 147. cetera materies r. r. 17, 1, ceterum pavimentum r. r. 18, 6. ceterum stercus r. r. 36. cum cetero vino 114, 2. 115, 2.

Adiectiva dexter et sinister apud Catonem semper e vocalem eiciunt frg. 35, 12. (dextera ed. pr.) dextra sinistra r. r. 21, 2 bis. Duos tantum exitus habent adiectiva campestris frg. 4, 15. celeris frg. 82, 4. quibuscum comparari possunt complura adiectiva tertiae declinationis, maxime gentilia in as, — is, — ns, — rs, quae apud scriptores aureae aetatis immobilia sunt, in vetusto vero sermone Latino in — is, — e exeunt. Apud Catonem complura horum adiectivorum inveniuntur: Capenatis frg. 9, 4. Tiburtis, Ardeatis 12, 11. 14, 1. Samnitis frg. 67, 1. Novembris 48, 5. Nominativum sing. neutr. nostrate, vestrate qnoque usurpatum esse Priscianus XII, 6, 17 pag. 587 eo comprobare conatur, quod ex suasione legis Naeviae frg. 70, 5 accusativum nostratia citat, qui etiam r. r. 135, 3. invenitur, quamquam hac forma nullo modo confirmari Catonem formis nostratis, nostrate usum esse apparet. In libro de agricultura horum adiectivorum nullum extat.

Accedunt nonnulla adiectiva, quae aut vetustae linguae Latinae tribuenda sunt aut plane aliam declinationem sequuntur atque apud scriptores aureae aetatis. Ex illis commemorandum est adiectivum plerus (frg. 4, 15), quod a Prisciano V, p. 182 ex Catonis origg. l. I

citatur vetustissimisque recte tribuitur, cum praeter duos locos Pacuvii. ap. Ribb. v. 136 et 320 et unum Asellionis Peter hist. Rom. rell. p. 179, 9. quantum invenire poteram, non extet, nisi Cic. legg. III, 3, 6.

Neutro necessum pro necesse, quod adverbium esse videtur, Cato usus est frg. 35, 8, cum 79, 7 codd. exhibeant necesse.

Denique adiectivum sacer fortasse secundum declinationem tertiam cadebat frg. 45, 3 ap. Fest. pag. 318 M. quamquam quia locus misere truncatus est nihil certi asseverari potest, praesertim cum reliquis locis secundam declinationem sequatur cf. frg. 14, 1. 48, 1. 65, 7.

In universum ad declinationem nonnulla addenda sunt de pluralibus tantum, quia Cato in nonnullis vocabulis plurali utitur, ubi posterioribus temporibus plerumque singularis erat usitata, in nonnullis singularem, ubi lingua urbana pluralem tantum agnovit.

Ita vocabulum molae nisi plurali numero non usurpatur r. r. 10, 4. 11, 4. item vina, ut diversa vini genera significentur r. r. 147. 148, 2; audaciae frg. 87, 5 cf. Neue II, pag. 425. Leguminum vero nomina ut omnino in lingua Latina ita apud Catonem quoque semper singulariter usurpantur cf. r. r. 116. 35, 1. 132, 2. Neue I, 407. A vocabulis dapes et preces contra, quae in lingua urbana et Ciceronis aetate pluralia tantum sunt, ut apud Catonem quoque preces extat r. r. 139, permultae formae singularis numeri derivantur velut daps r. r. 132, 2. 50, 2. dapi r. r. 132, 1. dapem r. r. 131. 132, 1. dape r. r. 132, 1. 2. precem frg. 46, 10 ap. Fest. 242 M. cf. Neue I, 463, 474. quas formas vetustas esse, postea vero in lingua vulgari sola servatas ostendit, quod precem et ipse habet Appul. Flor. XVI, pag. 68. Cyprian. ep. 37, 1. cet. cf. Neue l. c. De vocabulo aes

Charis. ex. art. gramm. p. 550. K. confirmat usitatas esse in plurali numero nullas formas praeter nominativum et accusativum aera, sed genitivus aerum extat frg. 66, 8. dativus aeribus frg. 66, 9. genitivus iurum frg. 30, 1. qui genitivus praeter hunc locum non invenitur nisi ap. Plaut. Epid. III, 4, 87.

Genitivum pluralis quintae declinationis in aliis fere omnibus vocabulis praeter res et dies apud scriptores Latinos deficere Prisc. VII, 19, 95. p. 367 asseverat. Ipse vero testatur Catonem usum esse genitivo facierum cf. frg. 69, 6. genitivi dierum et rerum saepius extant ut r. r. 2, 1. dierum r. r. 23, 2. 2, 2.

Videmus igitur in his vocabulis permultas proprietates linguae vetustae Latinae, quae linguae vulgari quoque accommodatae sunt, servatas esse, sed pariter inveniuntur in frgg. atque in libro de agr.

Complura vetustatis vestigia super sunt in comparatione, ubi nonnullae formae plane insolentes extant.

Festus enim p. 451 dicit antiquos magnificissima dixisse pro magnificentissima itaque pag. 152 et 155. magnificius et munificior e Catone citat cf. frg. 72, 15. 66, 4 idemque p. 154 beneficissimo frg. 43, 3. Pariter regula, qua ab adiectivis in — ius, — eus, — uus, comparativus et superlativus formari vetantur, saepissime apud Catonem neglegitur, cum utatur formis: strenuissimus frg. 19, 1. arduissimus 38, 9. perpetuissimus 45, 7. innoxiior frg. 42, 10. industriior frg. 55, 12. perpetuius frg. 55, 3. arduius frg. 85, 6. His permultis formis in libro de agr. sola respondet forma strenuissimus praef., quod valde dolendum est, quia ex his et ipsis formis facile cognosci posset, utrum libri forma genuina sit an retractata. Mirum certe est, quod in eadem praefatione superlativus maxime pius exhibetur, quamquam Charis I, 16,

p. 115 formam piissimus cum forma strenuissimus coniungit, ita ut colligere possis eum hunc ipsum locum, sed aliter comparatum in animo habuisse. Adiectiva in — uis vero semper superlativos finxerunt, quare forma tenuissimus, quam Dietzius inter insolentes affert, mira non est. Contra ab adiectivo maturus maturissimus et maturrimus derivatum esse testatur Prisc. III, 3, 19 p. 95. Charis II, 13 p. 205. qui ex Catone citat maturrime frg. 34, 1. (maturo me cod. Neap. maturrime ed. princ. vulgo.) cum idem Charis l. c. frg. 36, 11. citet maturissime. Maturrime formam vetustis temporibus usitatiorem fuisse efficitur ex Sallustii imitatione cf. Neue II, p. 106. Denique purime tetinere antiquos dixisse pro purissime tenuere Pauli Fest. testatur pag. 252., cum in cod. Farnes tantum supersint literae: — rissime tenuer — quas Muellerus supplevit „Purime tetinero dictum est pro purissime tenuere". Sed cum antea complures ex Catone glossae allatae sint, nescio an hoc quoque ex illo desumptum sit, quamquam r. r. 66, 1. in codd. exhibetur forma purissime. Participia perf. pass, quae comparatione induntur, collecta sunt ap. Dietz. p. 15. minutissime r. r. 95, 2. 107, 1. ratissimus frg. 42, 3. incultior frg. 60, 4. desertior frg. 60, 4. repulsior frg. 60, 5. curatior r. r. 103. De formis sollertissimus, inclutissimus, stabilissimus r. r. VIII, 2. frg. 19, 17. r. r. praef. 4 vide Neuium II, pag. 133. 136. 137.

In pronominum declinatione librum de agricultura eo a reliquis differre, quod ea pronomina, quorum terminari soleat genitivus sing. per ius, dativus per i, etiam ad declinationem nominum, quasi sint nomina adiectiva, terminationes suas sumant, recte Dietzius dicit, quas formas linguae vulgaris proprias fuisse O. Reblingius in commen-

tatione: versuch einer charakteristik der römischen umgangssprache. Kiliae 1873 p. 15 suo iure dicit. Formae, quae in Catonis libris extant, sunt: eae terrae r. r. 46, 1. (gen.) eae (dat.) 142 (om. v. add. P A R): quae scripturae quare Dietzio incertae videantur, non video; hae rei r. r. 14, 3. (hęrei P c. et cod. Victorii, herei A b. herus v.) illae rei r. r. 153 (illę rei P c ille rei A illius rei v.) illi rei r. r. 26 (illi rei P A R illius rei v) ei rei r. r. 26. 28. quod eius r. r. 32. eiusdem rei r. r. 134. illiusce r. r. 139. illius modi 157, 2, quibus locis num re vera Catonis ratio scribendi tradita sit valde dubito; immo mea quidem sententia pro illi rei r. r. 25. 26. ei rei 26, 28. illius rei 139 altera forma restituenda est, ita ut his quoque locis lectio vetusta obliterata sit. In frgg. huic rei traditur frg. 72, 1. eius 10, 2. 14, 1. 19, 8; 16. 20, 1. 58, 4. 85, 1. quae formae sine dubio recte se habent, quia substantivum additum non est; ei 17, 7. ei rei 33, 6. ei 62, 6. illius 48, 15. illi 62, 5. 79, 1. 85, 2. Fortasse hic quoque frg. 72, 1 et 33, 6 vetusta forma mutata est. Formas illi modi frg. 59, 5. alii modi 51, 2 isti modi 50, 4. locativos esse recte Dietzius annotat, qui omnibus temporibus usitati erant. Praeterea commemoranda est forma eabus r. r. 152. quocum conferri potest forma ibus Plaut. Truc. I, 2, 14 et accusativus em frg. 59, 3 (si em cod. tuetur Mueller coll. Paullo p. 77 em pro eum cf. Neue II, 193 sequ. De forma quoium cf. Bücheler p. 90 Bergk. l. c. p. 59 sequ., de formis ques et quescumque iam supra disputatum est. Denique commemorandae sunt formae contractae mihipte = mihi ipsi frg. 87, 21. quae sine dubio desumptae sunt e lingua vulgari et sermone cotidiano Neue II, 186.

In adverbiorum formatione maxime commemorandum est, quod a compluribus adiectivis secundae declinationis

formae in — ter derivantur, quae magis accommodatae sunt adiectivis tertiae declinationis. Omnino hae formae saepissime inveniuntur apud poetas vetustiores et eos, qui posterioribus temporibus illos linguamque vulgarem imitabantur velut Appuleium, Frontonem, omnino eos scriptores, quos fontes, unde hauriri possit lingua vulgaris, esse Woelfflinius, Philol. XXXIV, p. 137 exponit, unde has formas proprias fuisse linguae Latinae vulgari satis apparet cf. Rebling. l. c. p. 14. Neue II, 653 sequ. Cum praeterea pari modo inveniantur in frgg. et in libro de agr., efficitur Dietzii distinctionem, quam facit inter Catonis frgg. et libri de agr. sermonem, non esse probandam.

Formae ipsae sunt: avariter frg. 69, 4. fraudulenter ib. largiter frg. 73, 10, quibuscum comparandae sunt in libro de agr. formae puriter r. r. 23, 2. 76, 1. 90. 112. et rarenter r. r. 103. Cur vero sublimiter r. r. 70, 1, 2. 71 Dietzius his vocabulis adiunxerit, equidem non intellego, quia praeter formam sublimus extat forma sublimis, unde recte derivatur adverbium sublimiter.

Maxima vero varietas apud Catonem est in formando adverbio adiectivi rarus. Praeter formam rarenter enim r. r. 103 ap. Charis. p. 217 ex Catone citatur rare, quo accedit forma raro r. r. 157, 13. Omnino complures formas in o, quas proprie ablativos esse constat, in Catonis libris inveniuntur ut sempiterno frg. 33, 8. necessario 49, 8. sedulo 36, 3. cito 38, 11. 39, 1. tertiato, quartato 86, 6, quibus respondent in libro de agr. obliquo 41, 2. crebro 48, 2. 46. 49. 79. 95. 117. 161. cito 117. 157, 10. tempestivo 61. continuo 66. indiviso 137. intro 157, 13. 15. 16. Reliquorum secundae declinationis adiectivorum adverbia secundum regulam usitatam in e formantur, cum in nonnullis scriptoris consuetudo vacillet

inter neutrum adverbii loco usurpatum et adverbium ut minimum r. r. 143, 1 et minime r. r. praef. 35, 1. nimis r. r. 46, 1 et nimium r. r. 3, 4, quod mirum non est. Vacillatio vero inter quoquo vorsum r. r. 46, 1 et quoquo vorsus r. r. 43, 2 ut parvi momenti est ita omnino huc non quadrat. Digna, quae tractatur tantum est vacillatio inter formas donec et donicum. Charis II, p. 197 K: Donicum pro donec, ita Livius . . . . Plautus quoque . . . . sed et Cato ‚tu otiosus ambulas, qui apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem cf. frg. 43, 4. In libro de agr. hae extant formae, donicum r. r. 146, 2. 149. utroque loco in formula sine dubio vetusta pactionis. 161, 3. donec contra r. r. 43, 2 et saepius. In inscr. haec coniunctio semel invenitur, nimirum forma donec C. J. L. 198, 65. 631 vel 32 a. u., sed vetustis temporibus utramque formam usitatam fuisse in Plauto metrum et libri mss. ostendunt. Neque igitur Catonem semper una forma usum esse dici potest, quamquam in hac re libris mss. fides habenda non est. cf. Neue II, p. 805. Rischl. opusc. II, 241 sequ. Denique commemorandae sunt formae singulares uls = ultra frg. 88, 14. cis frg. 10, 20 am = circum frg. 30, 8, quae sine dubio vetustissimae sunt.

In coniugatione pleraque, quae Dietzius affert, nunc aliter e libris mss. constituenda sunt Primum enim dicit quasdam differentias in coniugatione ortas esse verborum radicibus ita variatis, ut aliae efficerentur flectendi rationes, quod ut confirmet, primum affert vocabulum lavare (cf. Neue II, p. 41 sequ.) unde formae lavato leguntur r. r. 74. lavito r. r. 25. 65, 1. 96, 2. (bis) 157, 11, quocum consentit forma futuri laves 157, 10. lavet 86. Ac re vera r. r. 74. formam lavato in codd. legi concedendum est, sed cum omnibus reliquis locis codd. in forma con-

iugationis tertiae consentiant, quin illo loco forma recentior a librariis substituta sit, non dubito cf. grammaticorum testimonia Neue II, p. 420. Quod vero dicit, vocabulum artare modo ad coniugationem primam referri, modo ad quartam in artito r. r. 40, 3 (bis) 41, 3 (bis) artiveris 40, 3 rectum non est, quia formae artare apud Catonem nullum extat vestigium. Formae componeto vero r. r. 37, 5. extergantur r. r. 26. tergi r. r. 2, 4. exugeto r. r. 156, 3 nunc recte in Keilii editione e codicibus mutatae sunt in compone (P R copone A componito v), extergeantur (V R extergantur A) tergeri 2, 4 (sine ulla discrepantia scripturae) exurgeto (exurgeto P R, exugeto A [?] Iucundus, exuggito v). Restat forma glubebit r. r. 17, 1, quae a vocabulo glubo (r. r. 33, 5) similiter derivata est ac largibo, dormibit, quas postea considerabimus. Catonem solam agnovisse formam sallio, non sallo, quam Varro l. l. V, 110 confirmat, ostendit infinitivus sallire r. r. 162, 1. salliantur 23, 2. Sed addere poterat Dietzius verbum fodire, quod tertiam declinationem sequitur in perfecto foderis 38. defoderunt frg. 56, 3, quibus formis non respondet infinitivus fodiri r. r. 2. De forma calliscunt supra iam dictum est, forma premerint vero quam Dietzius affert ex agr. 66 nunc ex codd. mutata est in prement, quod sententiarum quoque nexu flagitatur (prement A R et ex coniectura Politianus, premerint V). Vetusta est forma duis r. r. 141, 3 in formula vetustissima, quacum comparari potest edis r. r. 157, 6 (P A R edas v) edit 156, 6 bis (priore loco P c f et superscr. A, edat b superscr. i, edat v; edit posteriore loco A R edat V. cf. annotationem Victorii ap. Keilium) cum r. r. 53 edant in codd. exhibeatur (edant v edunt P A R et codd. Victorii, comedant cod. Laur. 30, 10) non edint, quod Dietzius vult, quamquam nescio an hic quo-

que forma edint Catoni restituenda sit. Has formas optativos esse Dietzius l. c. p. 20 recte disputat, de qua re Curtius etym. 237. Corssen II ², 400, not. I ², 364. Krit. nachträge pag. 239. De forma praefamino vide Dietzium p. 21. Corssen II, p. 95 sequ. In eadem formula vetustissima capitis 141 extant formae inusitatae servassis et prohibessis, frg. 37, 18 videsis, quae secundum Corssen II, 553 ortae sunt ex prohibevesis et servavesis. Hanc vero explicationem falsam esse ostendit Brugmann l. c. III, p. 39, immo servata sunt in his formis vestigia aoristi, cuius consonans s propria erat cf. Brugman l. c. Eodem modo sine dubio explicanda est formis iussitur r. r. 14, 1. cf. Corssen II, 565, qui in hac quoque forma passivum perfecti syncopati cognovisse sibi videtur sensu futuri II usurpatum. Alteram explicationem, quam Dietzius profert, ex qua praesens passivi verbi obsoleti i u s s o est, omnino nullam explicationem esse apparet.

In futuro quartae declinationis pro usitato exitu — am exitus — bo usurpatur in scibit, dormibit r. r. 5, 5. largibo frg. 52, 11. cum r. r. 157, 16. reperiatur forma audies. Formae in — ibo, quae apud scriptores aureae aetatis plane fere evanescunt et redeunt ap. scriptores posteriores, linguae vulgari propriae erant cf. Neue p. 447 sequ.

Denique Dietzius agit de genere verbi deponentiaque, quae sint postero tempore, apud priscos scriptores Latinos et active flecti et passive activa significatione aut ad formam servata aut mutata exemplis probare studet. Ac primum quidem formas utito r. r. 96. 2 (utito V. A. R.) 107, 2. (utito P A R utitor v.) 123 (P A c. utito, o lineola superscripta b utitor v) 126 (utito P A c f. utito b, utitor v) 117 (utitor V. A. R. sed utito recte his tribus locis ex prioribus a Keilio restitutum est.). opsequito r. r. 5, 6. (opsequito

superscripto l' tor, sed ex coniectura ut videtur P, obsequitor partim A b c. Vict. obsequituro partum f. obsequito prompte v, obsequitor statim Jucundus) praefato r. r. 134, 1 (praefecto ut videtur A) quibus addi potest forma persequito r. r. 49, 2 (persequito V A b. c. persequitor Jucundus) apocope quae dicitur explicare studet Dietzius, falsissime sine dubio. Immo vacillabant Romani inter activum et passivum, quorum hoc postea in lingua urbana sola usitata erat, cum activum linguae vulgari accommodatum esset, quod confirmatur forma hortavit, quae redit Sen. Suas. V, 8 cf. Rebling. l. c. p. 21, Neue II, pag. 269. Idem pertinet ad formam auspicavi frg. 35, 10. auspicamus 47, 16, quod active usurpatur ap. Naevium, Plautum, cet. et iterum. Appul. Flor. XVI, 66. Arnob. II, 67 cf. Neue II ², 275. furare frg. 61, 9 ut iterum Fulgent. myth. II, 6. Appul. met. X, 14 p. 704. Neue II, p. 289. largibo frg. 52, 11 contra deponens frg. 37, 6, quibus addi fortasse potest forma nascere r. r. 151, 4, de qua dubitavit Dietzius, cum confirmetur optimis codd. P. A. R. (gramen nasci v). Sed cum r. r. 128 legatur nascetur, r. r. 91 nascentur neque activum ullo alio scriptorum Romanorum loco confirmetur cf. Neue II, p. 306 Dietzius locum corruptum esse suo iure statuit. r. r. 95, 2 autem in Keilii editione nunc recte emendatum est nascetur. (non nascetur superscripto l' nocebit A. non nascetur V c. non nocebit b. f. cf. annot. Victorii ap. Keil. ita non fore convolvulus Plin. XVII, 264). His formis adiungi possunt perfecta inusitata ausi frg. 63, 4. et solui Cat. ap. Varr. l. l. IX, 107 p. 535 Sp., cum ‚ausus sum' exhibeatur frg. 41. fitur et fiebantur frg. 48, 14 et 42, 5 ex analogia infinitivi fieri. Fenerari r. r. praef. deponens est, cum apud alios scriptores complures formae activi inveniantur

cf. Neue II ², 285. In vocabulo edere Cato semper utitur formis genuinis et vetustis exitibus cum stirpe vocalibus, quas nos ‚bindevocale' nominamus, non coniunctis cf. comesta r. r. 50, 2. comesto 156. esto 156 bis. esse 156, 6. 157, 6. Praeterea commemorandum est perfectum inusitatum parsi pro peperci frg. 51, 6 desumptum e lingua vulgari cf. Rebling. l. c. p. 15 et participium sepelitus frg 45, 9, quo accedit simplex spiciunt, quod non nisi apud scriptores vetustissimus usurpatur, cum reliqui scriptores composita sola habeant cf. frg. 40, 11 ap. Festum p. 344 M. Vocabulo facio in libro de agr. mss. modo formam fac, modo face tribuunt, in frg. non extat, face r. r. 5, 7. 32, 1. 37, 5. (face c. v. facere P b f. fecẽ A) fac r. r. 23 (fac P A R. face v) 26 (fac A c f. face V. om. b.) fac. 31, 1. 161, 4.

Diomed I, p. 349 dicit: „sed apud veteres salva est regula, qui dixerunt face, dice, duce" quocum reliqui grammatici consentiunt. cf. Neue II, 439. Apud Plautum secundum Ritschelium ante vocalem face scribendum est, ante consonantem fac, quocum Catonis usus non consentit, cui cum constantem sibi fuisse persuasum habeam, semper restituenda est forma face cf. Ritsch. opusc. II, p. 241. 545. Neue II ², 439. de formis verbi substantivi iam supra disputatum est.

Denique nonnulla addenda sunt de verborum compositione cf. Dietze pag. 13 sequ. Saepius Cato praepositiones coniunctas adverbiorum loco usurpat velut circumcirca frg. 89, 29, praeterpropter 89, 30. introrsum 87, 6. in libro de agr. insuper r. r. 40, 4. 76, 4. extrinsecus 38, 3. 98. intrinsecus r. r. 152 quibus addi potest adverbium compositum inibi r. r. 31, 4 et saepius. Hanc et ipsam proprietatem linguae vulgaris fuisse exponit Reblingius l. c. p. 9. 17

sequ. cf. Reisig § 136, 6. Haase not. 265. Draeger § 74. Aliquatenus simile est, quod saepissime apud Catonem usurpantur verba frequentativa velut latitavere frg. 87, 19. vectare r. . 10, 1. vectitare frg. 59, 1. datare frg. 37, 14. subrectitare frg. 64, 7. flexare r. r. 49, 2. heredem sectari frg. 54, 8 pro usitata formula heredem sequi cf. Dietze p. 14, quibus addi possunt obsonitare frg. 52, 14. quassare r. r. 23, 3. conquassato r. r. 52, 2. 88 cf. Woelfflin. Philol. XXXIV p. 157 sequ. Rebling. l. c. p. 16. Cum hoc usu comparari potest, quod saepissime, ut supra vidimus, apud Catonem extat superlativus, quoniam lingua vulgaris formas plenas et fortes valde amat. (Jahnii ann. 1875. 788.) Eodem pertinet quod Cato saepius deminutivis utitur velut portisculum frg. 66, 5. punctatoriolas frg. 53, 15. orbiculus r. r. 3, 6. resticula r. r. 110. fossula r. r. 161, 4 cet. cf. Dietze p. 14. Woelfflin. l. c. p. 153, quod multis locis adverbium bene eodem fere sensu, quo adverbium valde, usurpatur, quod interdum composita loco vocabulorum simplicium ponit.

Eis vero, quae adhuc de flexionibus disputavimus, ea sententia, quam supra statuimus, plane confirmatur. Neque enim Catonem in libro de agr. alio sermone usum esse quam in reliquis libris ullo modo ostendi potest, cum et in frgg. et in libro de agr. usurpentur permultae linguae vulgaris proprietates, quae cum sermo Romanorum magis magisque politior in dies fierit et re vera in sermonem urbanum transiret, paullatim plane obliterabantur et ab hominibus plebeis tantum servabantur, donec apud scriptores posteriores denuo adhibebantur. Quare quod Dietzius censet Catonem in libro de agr. sermone vulgari, in reliquis libris sermone urbano usum esse, ne flexionibus quidem consideratis probatur. Praeterea vero

in flexionibus in libro de agr. et in frgg. permulta vetustatis vestigia servata sunt, ita ut non ut in ratione scribendi omnes flexiones vetustae expulsae sint. Sed vidimus, in libro de agricultura nonnulla vestigia indicare hic non solum rationem scribendi novatam esse, sed etiam saepius formarum vetustarum in locum recentiores substitutas esse, quod suspicionem movet aliis quoque locis, quos nos nunc non iam cognoscere possumus, vetusta obliterata esse.

Pars III.

De sermone libri de agricultura.

De syntaxi Catoniana nuper accuratius egit P. Schoendoerffer in dissertatione Regimontana a. 1885 edita. Quae affert, ego iam dudum collegeram et in dissertatione, quam conscripsi ad nanciscendam facultatem docendi, iam ante quindecim menses proposui. Schoendoerfferi dissertationis summa est sermonem libri de agricultura optime in Catonis aetatem convenire et per totum librum eundem esse, cum ego illo loco ostendere conatus sim, in rebus syntacticis aliis locis vetustum colorem servatum, aliis novatum esse, quos accurate significare difficillimum sit, quia inscriptiones vetustae non sufficiant ad cognoscendam vetustissimam linguae Latinae formam syntacticam, Plauti comoediae vero et ipsae permultis locis manibus recentioribus mutatae sint. Utramque igitur Schoendoerfferi sententiam falsam esse censeo.

Praemittenda sunt nonnulla de Catoniani sermonis ratione et indole, quam Keilius in libro de agr. tam tenuem et ieiunam esse dicit, ut Catonis ingenio digna non sit et multum de antiqua Catonis elocutione, quam originum fragmenta praebeant, perierit. Videtur igitur in fragmentis artem quandam loquendi agnovisse, cum Jordanius in quaestionibus Catonianis dicat, elegantiam a Catone prorsus alienam esse, quin etiam orationem eius et numero omni et suavitate destitutam esse vel reliquia probare, quod toti viri naturae plane respondeat.

Dietzius contra et ipse negat Catoni componendi artem defuisse, cum scriptor non solum quantam potuerit

curam adhibuerit orationi exornandae verborum tralatione atque ut propria essent vocabula remque maxime explanarent, verum ne desiderentur quidem vocum numerus quidam et ordinis mutatio, concedit vero sententiarum structuram rudem et incomptam esse.

Ac primum quidem orationem in frgg. multo elegantiorem et politiorem inveniri quam in libro de agricultura, praesertim cum in nonnullis particulis, sive quod scriptor accusativo cum infinitivo utitur sive quod enuntiationes relativas et finales interponit, aliquid sit structurae varietatis (cf. Dietze p. 30 sequ.) negari nequit.

Neque tamen ex hac discrepantia colligi potest librum de agricultura retractatum esse, cum in fragmentis quoque capita inveniantur, quae in elocutione plane cum illo consentiunt cf. frg. 59, 7. 79, 7. cf. r. r. 2, 7. frg. 79, 14, maxime vero ea praecepta, quae p. 82 sequ. inveniuntur. Omnino valde dolendum est, quod praeceptorum ad filium pauca tantum fragmenta supersunt, cuius libri elocutionem libri de agricultura simillimam fuisse persuasum habeo.

Deinde Dietzius et Bolhuisius sine dubio recte dixerunt (quae Schoendoerfferus p. 3 de libris artis coquendi praecepta continentibus dixit, inepta sunt, nisi forte mulieres, quae illos conscribere solent, confert cum M. Porcio Catone Censorio) maxime ad argumentum respiciendum esse. Neque enim quod in orationibus elocutio elegantior et alacrior est, premi potest, quia, ut exemplum afferam, in Thucydide et Livio et ipsis orationes, quae narrationi insertae sunt, et elegantia multo maiore et concinnitate reliquam scriptoris scriptionem superant. Originum vero libri sunt sine dubio perfectissimum et elegantissimum Catonis opus, cycnea tamquam divini hominis vox et oratio, qua in conscribenda summam

operam collocavit, ut quam elegantissima et iucundissima fieret neve eorum, quos per totam vitam impugnavit, operibus inferior esset. Neque mirum est, quod in eis libris, quibus populi Romani res bene gestas narravit, quorum permultis ipse interfuit, oratio hominis tam patriae amantis, civis tam strenui in cothurnos quasi assurgebat.

Liber de agricultura contra, quippe qui corpus quasi praeceptorum ad rem rusticam, cui omnes fere Romani cotidie operam dabant, pertinentium esset, si oratione multo ieiuniore conscriptus est, quid mirum! Omnino nescio, quomodo illa retractatio, quam Keilius sibi finxit, facta sit. Cogitari potest per grammaticum orthographiam mutatam et novatam esse, quod nos quoque censemus et comprobare conati sumus, qua in retractatione complures proprietates ad flexiones pertinentes et ipsas expulsas esse item ostendere et exemplis confirmare studuimus. Difficilius est proprietates, quae ad syntaxim pertinent, mutare, nisi quis totum scriptoris librum retractare eiusque sententias cogitationesque tantum reddere vult. Si quis vero etiam magis librum de agr. mutatum et retractatum esse putat, sumere debet in praeceptorum enumeratione data occasione nova inserta esse, alia capita mutilata, alia interpolata, alia repetita esse.

Hoc re vera factum esse infra argumentis comprobandum est. Neque vero ullo modo dici potest longiora Catonis capita, in quibus res ad agriculturam pertinentes elegantius et verbosius expositae erant, ab interpolatore quodam ita mutata esse, ut brevia tantum praecepta relinquerentur et elocutio multo ieiunior et tenuior fieret. Quod si factum esset, sine dubio omnia vocabula constructionesque vetustae remota essent. Cum vero satis comprobasse nobis videamur, iniuria Dietzium dicere in

libro de agricultura linguam vulgarem, in reliquis libris linguam urbanam inveniri, ut elocutionis differentias explicet, aut statuendum est libri de agricultura elocutionem tam ieiunam et tenuem esse, ut liber subditicius sit neque Catoni tribuendus, sed altero ante Chr. saeculo ab agricola Romano conscriptus, aut dicendum est toto argumento et re tractata factum esse, ut libri de agr. elocutio ieiunor et tenuior sit.

Hoc tantum probabile esse argumentis probare opus non est.

Quod vero in libro de agricultura ipso discrepantiae elocutionis perspicuae inveniuntur, ut inter caput 5 et 142. 143, quae in oratione valde diversa esse negari non potest, quamquam argumentum fere idem est, inde hoc tantum colligi potest diversas libri de agr. formas coniunctas et contaminatas esse. Eam tamen sententiam, quam supra proposuimus, rectam esse eis, quae Dietzius p. 29 sequ. exponit, satis confirmatur.

Complures enim sermonis et structurae proprietates et in libro de agr. et in frgg. inveniuntur, ita alliteratio et annominatio cf. Dietzii p. 29 not; ita ut vocabulum aut ea enuntiationis pars, cuius maxima vis est, ab initio enuntiati collocetur cf. exempla ap. Schoendoerffer p. 11; ita quoque ut maxima enuntiationis vis in finem transmittatur cf. r. r. 5, 3 ‚iniussu domini credat nemini' frg. 18, 16 ‚sed istos, inquit, milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat'.

Et in libro de agr. et in frgg. frequentissime coniugatio periphrastica adhibetur r. r. praef. 4: minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt. r. r. 5, 6: boves maxima diligentia curatos habeto. frg. 36, 15: me sollicitatum atque exercitum habitum esse, et constanter particula quam post comparativos plus amplius

minus deest r. r. 17. 45. frg. 24, 9. 48, 4. 11, 18. r. r. 49. 89. 113. Schoendoerffer p. 50. adde, quae de polysyndeto dixit Jordan. quaest. Caton. p. 78, de asyndeto Jordan. l. c. cf. Gell. XIII, 25, 12. X, 3, 7. II, 22, 28. 29. denique de synonymorum coacervatione idem.

Atque polysyndeton, quod in orationibus et origg. saepissime extat, in libro de agr. nusquam fere invenitur nisi in praefatione, quod mirum non est, quia praefationis elocutio maxime cum ea, quae in origg. orationibusque invenitur, consentit. Asyndeti exempla e libro de agr. affere vix opus est cf. 2, 2; 3. in unoquoque fere capite huius usus exempla extant. Tertiae proprietatis, quae orationibus accommodata est, in libro de agr. exempla non inveniuntur nisi quod in praefatione legitur ‚periculosum et calamitosum' et ibidem bis repetitur ‚est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet' et infra ‚mercatorem calamitosum'.

Denique huc pertinet, quod saepissime et in libro de agr. et in frgg. complures deinceps enuntiationes ita coniunctas invenimus, ut in posteriore vocabulum aliquod prioris pronomine demonstrativo repetatur eodem modo, quo ap. scriptores aureae aetatis pronomen relativum usurpatur. Similiter apud Homerum complures deinceps enuntiationes pronomine ὅς coniunguntur, quod cum τε particula addatur, nondum pron. relat., sed. demonstr. esse efficitur. Homeri usus ostendit hoc accomodatum esse vetustiori et incomptiori sermonis rationi et conferri potest, quod eae linguae, quae ‚agglutinierende' nominantur, paullatim transeunt in ‚flectierende' cf. frg. 8, 16. 10, 20. 14, 5. 15, 4. 17, 1. 19, 10 sequ.

Ut igitur ad syntaxin ipsam transeamus, nostrum esse non potest, omnia, quae Schoendoerfferus attulit, denuo tractare. Ea tantum commemorabimus, quibus ea

sententia, quam supra posuimus, confirmatur. Recte Schoendoerfferus p. 8 sequ. dicit accusativum, qui absolute quasi saepius in Catonis libro usurpatur, vetusti sermonis latini proprium esse, ita ut si reliqua respondent, testimonio esse possit, in eis capitibus, in quibus extat, genuinum servatum esse.

Extant tales accusativi in his capitibus: 10, 1. 11, 1. 12. 13, 1; 2. 135, 1. 21. 15. 7, 4. 37, 2. 7, 2. 128, 1: „terram quam maxime cretosam vel rubricosam, eo amurcam infundito", confer contra, quo modo in cap. 92, ubi sine dubio idem narratur, in verbis ‚lutum de amurca facito' vetustus color expulsus sit, quo suspicio movetur, caput 92 praebere formam recentiorem capitis 128. idem efficitur capite 45 comparato cum capite 46, 1, ‚locum quam optimum — — eum locum bipalio vortito', cum in cap. 45 legamus: locus bipalio subactus siet. Saepius in libro de agr. subiectum enuntiati secundarii transponitur in enuntiatum primarium, ita ut in illo fiat obiectum. Exempla collegit Schoend. p. 11. Haec, quae accommodata esse linguae vetustae negari non potest, inveniuntur in capitibus: 5, 5. 6, 14. 22. 31, 1. 33, 1. 38, 2. 41, 4. 108. 148, 2, ubi non subiectum, sed obiectum transponitur; 23, 1 vero nostra sententia desumptum est ex libro de agr., qui recentiorem vestem induerat, quare si haec quoque recte exemplis modo positis adiungimus, hic vetustum obliteratum non est. Sed verba ‚fac ad vindemiam, quae opus sunt, ut parentur, cum illis exemplis comparari non possunt, quia totum enuntiatum ‚ad vindemiam quae opus sunt', plane aliter se habet ac singula verba, quae in reliquis exemplis obiecti loco posita sunt. Neque quod saepius ea res, de qua agitur, in initio enunciati nominatur, vetusti sermonis Latini proprium est, immo omni aetate usitatum fuit. Accu-

sativum temporis contra ‚quidvis anni' capiti 17 vetustiorem colorem dare negari non potest, qui in capite 31 ‚tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit', expulsus est. Iam his paucis exemplis confirmatur Schoendoerfferi sententiam, sermonem per totum librum aequabilem esse, rectam non esse. Nec minus ea exempla insolentioris usus dativi commodi, quae Schoend. p. 14 sequ. affert, omnia in capitibus extant, quae in suspicionem vocari non possunt, tribus exceptis: caput 149, quod una cum capite 150 eiciendum esse infra ostendemus, sed cum ex Saserna desumptum sit nostro iudicio, non mirum est, quod vetusti usus exemplum habemus. Deinde cap. 26., in quo quin verba Catonis novata nos habeamus, non dubito ‚ei rei optimum tempus' et ‚privasque scopulas in dolia facito habeas illi rei'.

Hic igitur dativus servatus est, quod mirum non est, cum a nullo tempore plane alienus fuerit, sed recentiorem manum deprehendis in forma ‚illi rei', vetustum servatum est in ‚illae rei' cap. 153. 154. Ex constructione verborum u t i et f r u i, quae apud Catonem modo cum ablativo, modo cum accusativo coniuncta inveniuntur, nihil concludi potest, cum nonnullis particulis facultas accidat genuinae libri de agricultura formae divinandae. Saepius apud Catonem praepositio d e pro genitivo posita est. Ex exemplis, quae Schoend. affert, insolentius est 108, 1: sextarium de eo vino et 114, 2: de eo vino cyatum sumito; hic locus comparatus cum capite proximo, ubi § 2 simpliciter dictum est „cyatum in ceteram potionem indito" iterum ostendit, in capite 115 ea, quae in capite 114 extant, formam recentiorem induisse. Reliquis locis, quos Schoend. affert, sine dubio vetusta scriptura servata est.

Plura dicenda sunt de usu praepositionis i n. Schoend. enim arbitratur, nonnullis locis libri Catonis hanc prae-

positionem cum accusativo coniunctam esse, ubi potius ablativum expectes, ita 21, 3: cupa qua fini in modiolos erit.

88, 2: eam muriam in labella vel in patinas in sole ponito.

ac vituperat Keilium, quod 39, 2 coquito in fornace ibid: per imbrem in villa quaerito. 52, 1: in arbore relinquito accusativum, quem plerique libri manuscripti confirment, in ablativum mutaverit. Addere poterat 156, 5, ubi „in aqua macerare" exhibet A R, in aquam V, aqua K. Ex locis, quos Schoend. p. 31 sequ. colligit, efficitur praepositionem i n cum accusativo coniungi post verba esse, possidere, manere, habere, sedere, gerere, denique coqui Coel. ap. Gell. X, 24, 6: die quinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta. Videntur igitur Romani praepositionem i n aliquo tempore cum accusativo, non cum accusativo et ablativo, coniungere coepisse, cuius usus vestigia restant in formulis saepe adhibitis, quas modo nominavimus. Quibus exemplis probari potest accusativus, quem Keilius 21, 3 et 88, 2 in verborum ordinem recepit, quamquam hic locus obscurior est et fortasse tali coniectura, qualem Keilius proposuit, emendandus, Sequitur, ut 39, 2 recte accusativum, quem codices praebent, quos in hac quaestione nihil fere valere elucet, in ablativum mutaverit, cum verba coquere et quaerere nullo modo cum eis, quae supra attulimus, comparari possint. Iniuria contra Keilius meo quidem iudicio ex capite 133, quod Schoend. non vidisse videtur, in capite 52 quoque ablativum restistuit. Accusativus ‚in arborem relinquito' probari potest hoc loco: C. J. L. I, 200, 75: quei eorum in ameicitiam populi Romanei manserunt. Quod vero in capite 133 omnes codices ablativum habent, significat, caput 133 esse recentiorem formam

eorum, quae in capite 51. 52 praecipiuntur. Adiungenda est his exemplis constructio verbi ‚ponere'. Semper codices praebent ‚in sole ponito' cf. 87. 88. 105. 112, 1. 113. 116. 130. 151, 2. quocum conferri potest 156, 3: postea ponito pocillum in sereno noctu.. Quare in his semper ablativus usitatus fuisse videtur. Vacillatio contra extat in verbis ‚in scrobe ponito'. in scrobe quom pones 28, 2, idem ablativus 49, 2, cum lectio incerta sit 52, 2: cum eo qualo aut calice in scrobe ponito [in (in om. b.) scrobem ponito A R et ex Laurentiano 30, 10. Politianus, in scrobe posito V]. Fortasse recte Schoendoerfferus disputavit, hoc loco accusativum restituendum esse, praesertim cum capita 51 et 52 genuina esse videri semel iam viderimus atque accusativus certe vetustor sit. Quod si verum est, dubitari nequit, quin reliquis quoque locis scripserit Cato: in scrobem ponito. Restant praef. 37, 3. 76, 3. 113, 1. 161, 3. 66, de quibus certi nihil dici potest, nisi quod ablativus sine dubio recte se habet praef. 1, ubi vertendum est ‚und haben es so in ihren gesetzen festgesetzt'. Accuratius inquirendum est in imperativum, quem in partibus genuinis libri de agricultura multo frequentiorem esse quam in eis, quae recentiorem manum passae sunt, persuasum habeo, cum in his multis locis imperativo substitutus sit coniunctivus praesentis, ut qui posterioribus temporibus usitatior esset. Imperativum talibus praeceptis accommodatiorem fuisse temporibus vetustis optime ostendunt legum XII tabularum reliquiae. Equidem statuo imperativum vel oportet solum esse Catonis, si alteri personae quid praecipitur, interpolatoris vero esse, tales imperativos in coniunctivos mutare, ita ut obiectum fiat subiectum. Ut exemplum afferam, in capite VI, quod Varro ad verbum citat, ita ut quin vetustum et genuinum

sit, dubitari nequeat, semper extant imperativus vel oportet, cum grammatici recentioris sit enuntiatum velut „ibi aminnium maius serito“ mutare in ‚ibi aminnium maius seratur‘. Idem color est capite 7, cuius initium et ipsum apud Varronem servatur. Hoc caput ita se habet, ut ei fructus nominentur, qui in fundo suburbano seruntur, deinde unicuique fructui addatur, quo modo optime condiatur. cf. vitem † compularia sc. conseri oportet. uvae — conduntur. poma — sementiva, haec conditiva in sapa bona erunt. — oleas orcites posias: eae optime conduntur cet. Deinde additur: sorba in sapa condere vel siccare: arida facias, item pira facias“, quamquam antea de satione sorbi nihil dictum est, quo haec verba, cum verborum nexum interrumpant, suspiciosa fiunt. Atque revera esse interpolatoris inde efficitur, quod secunda persona coniunctivi loco imperativi adhibetur. Adde infinitivum sorba in sapa condere vel siccare, qui dissolutioris sermonis est, sed Catoni abiudicandum.

Ac nescio an proximum quoque caput interpolatoris manum passum sit. Initium plane cum prioribus consentit, sed quid sibi vult in hoc verborum nexu pratum? Fortasse eius commemoratio ex alio loco falso huc delata est. Deinde proxima verba aliis de causis summam suspicionem movere postea videbimus, hic tantum imperativi loco positum esse ‚facito uti serantur‘ moneo. In enuntiato proximo contra propter relativum qui — habebit, tertia persona coniunctivi recte se habet.

Caput 9 quod attinet ad sermonem genuinum esse videtur, cum huic capiti, quod verisimiliter mutilatum esse infra cognoscemus, fortasse tribuenda sint verba: pratum — summittito.

Capita X—XIX optime eis regulis respondent, quae ex capite VI efficiuntur ac maxime conferendum est caput

18, ubi semper extat imperativus. Celare nolo, mihi valde suspectum videri, quod in initio capitis 14 oportet coniunctum est cum coniunctivo, cum in capite VI, quod certe Catonis est, semper accusativum cum infinitivo sibi adiungat.

Sed in capite XX verba ‚eo plumbum effundere caveat, ni labet columella', quae primo obtutu interpolatoris esse videntur, mea sententia aliter constituenda sunt. Ut nunc se habent, sensu carent, nam quo modo plumbo effundendo efficiatur, ut labet columella equidem non intellego, immo plumbum effundebatur, ne columella labaret. Quare sic legendum esse censeo: eo plumbum effundito. caveto, ni labet columella', ita ut ni sit vetustior forma particulae ne, de qua supra verba fecimus. Ea contra, quae in extremo capite extant, labeam — ne cadant, interpolatoris additamentum esse mihi videntur, neque enim est vocabulum, ad quod tertia persona faciat et figat referatur.

In eis, quae adhuc consideravimus, capitibus idem est sermonis color; semper usurpatur imperativus futuri vel verbum oportet. Idem dicendum est de capite 21 et 22, caput 23 his regulis non respondet. Notandus est titulus ‚fac ad vindemiam quae opus sunt ut parentur', notandi sunt coniunctivi ‚vasa laventur' cet. cum exspectes ‚vasa lavito' vel „vasa lavari oportet". Quare in capite 23, si quidem argumentum Catonis est, verba mutata esse videntur. Idem dicendum est de capite 25 et 26: vide, quae in his capitibus imperativi loco posita sint: facito uti servetur, facito studeas, iubeto oblini, iubeto suo quidquid loco condi, fac extergeantur, facito habeas. Nunquam in prioribus tam dissolute pro imperativo vocabula maxime varia posita sunt nec dubito, quin haec varietas accommo-

data sit ad politiorem sermonis rationem. Quae suspicio etiam augetur, si cum capite 26 conferimus caput 68 et 152, in quibus eaedem res explicantur, sed eo sermone, quem Catonis esse maxime ex capite VI conclusimus. Proxima capita 27—30 iterum plane consentiunt cum capite VI sequ., cum caput 31 et 32 eundem colorem habeant, quem capita 22 et 23 cf. salix legatur, fac conciantur, facito uti ducas. arbores putentur, vites bene nodentur. arbores facito cet. In capitibus 33—35 denuo semper imperativos invenis, praecipue capita 34 et 35 plane consentiunt cum capite VI, quod per Varronem confirmatur.

In capite 36 verba: ‚amurcam — prius non alte' verborum nexum interrumpunt. Iterum habes coniunctivos spargas, irriges, cum in capite 93, ubi eadem explanatius praecipuntur suo loco, quod ibi latius de amurca agitur, eum sermonis colorem invenias, qui Catonis esse nobis videtur.

Nec minus caput 37, 3 sequ. suspiciosum mihi videtur. initium quidem genuinum esse videtur, sed inde a § 5 plane alium habes sermonem, primum coniunctivos sarias cet., deinde imperativos praesentis, quos apud Catonem plane inauditos esse ex eis capitibus, quae adhuc tractavimus, satis elucet. Accedit, quod nescio, qui frumenta hieme sarriri et runcari possint, quod nonnulla eorum, quae subsequuntur, in capite 55 iterantur, sed plane alio sermone. Quare haec quoque interpolatori tribuenda esse mihi videntur. His adiungendum est compluribus genuinis capitibus interpositis caput 45, in quo verba: eas sic inserito — ne librum scindas, cum adiges' in dubitationem vocanda sunt. Nam redeunt in capite 46, sed ibi habes imperativum Catonis proprium: eum locum bipalio vertito, in capite 45 coniunctivum: locus

bipalio subactus siet beneque glittus siet. Adde quod vocabulo vertito, quod in eis partibus, quae genuinae esse videntur, semper extat, substitutum est verbum subigere, quod iterum inveniemus in talibus partibus, quae suspiciosae sunt. Nec minus abhorret ab eis regulis, quas constituimus, caput 61, quod omnino vix cum reliquis comparari potest. Ac primum quidem ordo sententiarum perturbatus est, nam verba: ‚agrum — ne ares' sensum non habent, nisi cum primo enuntiato coniunguntur. Deinde iterum observatur coniunctivus ‚bene et tempestivo ares'. Denique quae praecipiuntur in paragrapho 2, iam legimus in capite 28; illo loco vetustam constructionem habemus, hic plane singularem et inauditam, quae elegantior illa quidem est, sed ea ipsa de causa Catoni abiudicanda.

In capitibus 66 et 67 semper fere coniunctivos habemus, de quibus certam sententiam proferre difficillimum est. Nam ex eis capitibus, quae adhuc tractavimus, huc nihil quadrat, quia in illis semper fere alteri personae praecipitur, hic vero tertiae personae. Ubi in prioribus tertiae persone praecipitur, coniunctivus usurpatur, quare fortasse hic quoque recte se habet, quamquam certum asseverare non audeo, praesertim cum in extremo capite 66 saepius inveniamus imperativos. Plane inauditi vero sunt maxime omnibus prioribus capitibus comparatis coniunctivi in capite 86 et 117, ita ut haec aut Catoni abiudicanda sint aut statuendum sit, hic Catonis verba in recentiorem formam redacta esse. Commemoranda est forma insolentior in extremo capite 117 utito. Hanc grammaticus vel quisquis Catonis verba in recentiorem formam redegit, mutare non audebat eaque de causa in proximis imperativos servavit. In initio capitis 87 coniunctivi indat et addat ex superiore capite irrepsisse

videntur. De ea ratione, quae intercedit inter capita 92 et 128, postea erit disputandum.

Atque is, qui Catonis verba novavit, quomodo rem gesserit, comparatis capitibus 129 et 91· optime cognosci potest. In capite 91 semper imperativi servati sunt, in capite 129 contra mutati in coniunctivos, cui nescio an adiungendum sit caput 136, quamquam hic certa formula traditur. Denique caput 151 quoque dubium est comparatis eis, quae supra in capite 48 praecipiuntur. Plinius iam novit hoc caput, sed ea, quae novata sunt in Catonis libro, novata esse ante Plinium mox videbimus. Mihi maxime paragraphus 4 recentiorem manum indicare videtur, ubi bis habes verba ‚facito uti' simplicis imperativi loco posita ‚facito uti aquam addas'. „facito uti ab herbis purges". et deinde coniunctivum purges. Neque in prioribus desunt, quae ad tempus recentius nos ducant, maxime moneo, quam eleganter verba capitis 48 ‚tum semen serito crebrum tamquam linum, eo terram cribro incernito, altam digitum transversum' mutata sint in capite 151, 3: ubi areae factae erunt, semen serito crebrum, ita uti linum seri solet. eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam succernito.' Quare cum idem caput 151 et 48 scripsisse non possit, non dubito caput 151 recentiori formae tribuere, quod nos monet, ut rem cautissime tractemus. Videmus enim, non semper imperativos mutatos esse in coniunctivos; immo intercedit eadem ratio inter capp. 151 et 48, quam inter capp. 51, 52 et 133 intercedere postea videbimus. Denique in capite 160, quod alia quoque de causa suspectum esse infra cognoscemus, nota imperativos praesentis semper usurpatas: prende, diffinde, praecide, alliga, quos Catonis non esse iam semel vidimus. Nec minus mihi in extremo capite 161, postquam iam antea de ster-

core in asparagos ingerendo dictum est, verba ‚fac ingeras' recentiorem manum indicare videntur, quae extremum enuntiatum addiderit.

Restant igitur capita 1—5, quae genuina esse videntur, nam coniunctivus, qui saepius in illis invenitur, semper dicitur de tertia persona, ita ut improbandus non sit. Quae vero intercedat ratio inter caput 5 et capita 142. 143 infra erit quaerendum. Sola quae leguntur inde a paragrapho 6 capitis V, suspiciosa esse videntur. nota coniunctivos substernatur, curentur; conficias face, stude ut habeas.

Quae exposuimus, sufficiunt ad iudicium confirmandum, quod supra protulimus. Efficitur non esse aequabilem per totum de agr. librum sermonem nec semper optime in Catonis aetatem convenire. Immo nos quidem concludimus, syntaxim, quae extat in libro de agricultura, quem nos habemus, ita comparatam esse, ut modo vetustus color servatus, modo novatus sit. Habemus igitur vestigium duarum libri de agr. diversarum formarum, quae contaminatae et commixtae sunt.

Ut igitur ea, quae dissertatione nostra et Schoendoerfferi libello effici nobis videntur, comprehendamus, summa disputationis haec est:

1) Quod Dietzius in libro de agricultura Catonem lingua vulgari usum esse dictitat, in reliquis libris lingua urbana et inde differentias elocutionis explicari posse, rectum non est, immo Cato in utroque scriptorum genere eodem sermone usus est, qui paullo politior ille quidem erat quam lingua vulgaris, sed plenus proprietatum illius.

2) Ex omnibus Catonis libris vetusta ratio scribendi iam antea per librarios compluribus locis novata per grammaticum expulsa est.

3) Quae cum expelleretur, complures proprietates,

quae ad flexiones et ad formas pertinent, deletae sunt, cum in aliis genuina servarentur.

4) Syntaxis proprietates hac occasione mutatae esse non videntur, sed extitit altera forma libri de agricultura, in qua syntaxis quoque multis locis recentiorem vestem induit nec non totus sermo novatus est; utriusque formae in libro, quem nos habemus, extant reliquiae.

5) Quod in libri de agricultura genuinis partibus elocutio ieiunior et tenuior est quam in originibus et orationibus, ex utriusque scriptorum generis argumento plane diverso ortum est, nam quominus in hac re retractionem ingruisse censeamus impediunt complures structurae proprietates, quae in utroque genere inveniuntur.

Restat igitur quaestio, quo tempore hae mutationes factae sint. Atque orthographiae flexionumque ratione habita ad Augusti tempora nos duci iam supra vidimus, quo tempore re vera libros Catonis mutatos esse alia quoque via demonstrare possumus. Etenim Verrius Flaccus libros scripsit de significatu verborum, quorum pars erant libri de obscuris Catonis, de quibus vide Gell. XVII, 6, 2. Multa ex his libris fragmenta apud Festum ex eoque apud Paulum servata esse inter omnes homines doctos constat. Nec dubito, quin ex eis glossis Catonianis, quae frequentes apud grammaticos Latinos inveniuntur (cf. Jordani frgg. edit. indicesque Keilii grammaticorum editioni additas), permultae ex Verrii opere haustae sint, quo grammaticos persaepe usos esse optime demonstrat Gelli locus, quem modo attulimus. Omnes has glossas colorem multo vetustiorem Catonis librorum referre, cui ea, quae nunc invenimus, non respondeant, supra saepissime vidimus cf. Ribbeck. mus. nov. Helv. l. c. Multae quidem pertinent ad significationem verborum, quod plane

ad titulum operis Verrii Flacci accommodatum est. Quae quamquam gravissimae sunt et sine ullo dubio accurate tractatae viam munire possunt, qua demonstretur, utrum in Catonis libro de agr. in locum veterum vocabulorum synonyma quae dicuntur sermonis rationi recentioris magis adaptata substituta sint necne, tamen nunc mittamus, cum ea, quae iam tractavimus, satis ostendant sermonis colorem vetustum in libro de agr. permultis locis expulsum esse, Verrium autem, quod iam operis inscriptione et toto proposito et fragmentis ex omnibus Catonianis operibus desumptis verisimile fit, Catonis libros plane incolumes nec mutilatos aut retractatos in manibus habuisse. Neque enim libris iam in recentiorem formam redactis scribere poterat de obscuris Catonis. Atque proprietatibus sermonis Catoniani eis de causis, quas Ribbeckius significavit, gravissimis ita collectis, in certum ordinem redactis, hominibus doctis aetatum posteriorum traditis maxime intererat, ut Catonis opera, quae non minus gravia erant propter argumentum, ab eis intellegi possent, qui linguae investigandae operam non dedissent. Quare necesse erat, ut scripta Catonis novam vestem induerent, quae sermonis Latini illius aetatis rationi accommodata esset. Hanc retractationem paullo post editum Verrii librum factam esse verisimile est, fortasse ab uno ex eius discipulis, quos multos habebat. Eam formam, quam libri Catonis ita nacti sunt, in libro de agr. plerisque locis libri mss., quos nos habemus, praebent, in reliquis scriptis ea, quae apud Gellium et Plinium afferuntur. cf. L. Müller. der saturnische vers und seine denkmäler. § 67. Atque mortem obiit Verrius Tiberio imperatore (14—37) ut Sueton. gramm. 17 narrat, aetatis exactae. Ab Augusto praeceptor nepotum electus cum omnibus discipulis suis in Palatinum transmigravit. Nepotes Augusti alter anno

20, alter anno 17 ante Christum nati sunt. Si igitur recte ponimus Verrium iam hominem doctum illustrem et praeclarum, qui iam gravia opuscula ediderat, eo tempore fuisse, quo ab Augusto praeceptor electus est, concludendum est, eum opus suum paucis annis ante Christum conscripsisse. Infra ostendere conabimur, Plinium fere eam libri de agricultura formam in manibus habuisse, quam nos possidemus, quare cum historiam suam naturalem anno 77 post Christum natum Tito dedicaverit, retractatio ante hunc annum facta sit necesse est. Recte igitur dicamus Catonis libros non multo post Christum natum Augusti vel Tiberii aetate in eam, quam nos habemus, formam redactos esse, ita quidem, ut hodie quoque saepissime libri Germanici media aetate conscripti recentiori linguae colori accommodantur, ut orthographia et flexiones vetustae mutentur, syntaxis paucis tantum locis mutetur, quia verborum nexus etiam nunc intellegi potest cf. Simrockii versionem carminis Nibelungorum, alia. Consentaneum est libros Germanicos multo maiores mutationes subire, quia discrepantia, quae interest inter linguam Germanorum mediae aetatis et nostrae, multo maior est quam ea, quae interest, inter linguam Latinam Catonis et imperatorum aetatis. Nam alia dialecto poetae veteres Germani utuntur, alia nos, Romae vero diversae dialecti non extabant, sed eadem paullatim mutata et politior facta est. Verisimile igitur est paullo post Christum natum ex scriptoribus rei rusticae, qui antea viguerunt, gravissimos Catonem et Varronem electos et in usum agricolarum in unum corpus redactos esse, cuius sermonis color illius aetatis rationi adaptabatur. Huic corpori postea Columella additus est, etiam posterius Gargilius. Hoc corpus scriptorum rei rusticae ad nostrum tempus propagatum est, praeterquam quod Gargilii Mar-

tialis libri deperditi sunt. Confirmatur haec sententia ratione codicis vetustissimi deperditi Marciani, quem ex vetere inscriptione, quae in fronte libri erat, praeter Catonem et Varronem Iunii Moderati Columellae libros XII et unum Claudi Martialis continuisse Victorius testatur. Cum enim vox Caudi teste Victorio obliterata esset neque Claudius Martialis usquam commemoretur, quin Gargilii liber in codice quondam fuerit, dubium esse non potest cf. Teuffelii hist. lit. Rom. [4]. 891.

Pars IV.

De testimoniis ab antiquis scriptoribus ex Catone depromptis.

Testimonia ab antiquis scriptoribus ex Catonis de agricultura libro deprompta primum contulit Klotzius l. c., postquam Gesnerus eumque secutus Schneiderus ea tantum tractaverunt, quae suspicionem retractationis movere videbantur, reliqua omiserunt. Ei vero, qui postea huic quaestioni operam dederunt, testimonia plane neglexerunt, quare cum interea scriptores multo accuratius et melius editi sint, res digna videtur, in quam denuo accuratius inquiratur.

Saepius Catonis de agricultura liber citatur ap. Plinium, Columellam, raro apud Varronem et Gellium, rarissime apud grammaticos reliquosque scriptores posteriores, nunquam apud Quintilianum. Aureae aetatis scriptoribus memoria Catonis de agr. libri plane excidisse videtur, unde eos his studiis omnino operam non dedisse efficitur, quod eo confirmatur, quod ex reliquorum rei rusticae scriptorum praeter Catonem et Varronem operibus, Sasernarum, Scrofae, Magonis cet. nihil fere reliquum est. cf. Reitzenstein. l. c. Adde quod Cicero Catonis orationes neminem novisse, nedum legere queritur, unde librum de agr. plane in oblivionem ivisse concludi potest. Tota igitur quaestio tripartita est. Primum enim accuratissime ea testimonia, quae apud Varronem, vetustissimum scriptorem, inveniuntur, consideranda sunt, ut quae tum fuerit libri forma, cognoscatur. Deinde

Plinio Columella Gellio adiuvantibus demonstrare conaturi sumus, quae mutationes inter illius horumque aetatem increbuerint, denique videamus, utrum ea forma, quam nos habemus, Plinio Columellae Gellio in manibus fuerit an etiamtum post eorum aetatem liber mutationes graviores praeter librariorum peccata subierit.

Nonnulla praemittenda sunt de ea quaestione, utrum Catonis liber, quem nos habemus, ad filium datus sit an filio alio loco ostenderit, quae maxime praecepta bono colono observanda essent. Etenim cum Serv. ad Verg. Geo. II, 412 dicat: laudato ingentia rura, exigua colito' hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura", Gesnerus inde collegit Catonem filium allocutum esse et in ingressu libri et in fine, hanc vero allocutionem grammatici manu, qui librum in recentiorem formam redegisset, deletam esse. Cum autem omnibus reliquis locis, quibus Catonis liber citatur, simpliciter dicatur: M. Porcius de re re rustica vel aliquid simile, non additis verbis ‚ad filium' vel ‚ad Marcum filium' (Cic. de sen. XV, 54. ad Attic. XVI, 11, 4. Gell. X, 26.. III, 14. Varro r. r. I, 2, 28. Colum. r. r. I, 1, 12, Plin. n. h. XIV, 4. 44. Plut. Cat. mai. XXV, p. 351 quos locos Klotzius collegit p. 19 sequ.), iam inde recte concludit Klotzius nullum extare vestigium, quo Catonem hunc librum filio dedicasse confirmetur. Adde quod teste Keilio (p. 66). e libris mss. optimus quisque in eo consentit, ut M. Porci Catonis de agricultura liber inscriptus sit (Keil p. 67) nam quod in pessimis codd. Veneto et Ottoboniano ad filium liber inscriptus est, sine dubio per librarium aliquem doctum, qui illius Servii loci meminerat, ex coniectura factum est. Accedit quod Catonis complures loci citantur, qui primo obtutu sine dubio ad agriculturam referendi sunt neque tamen in libro

de agricultura inveniuntur cf. Serv. ad Verg. Geo. I, 46. Jordan. p. 78 ‚quod evenire frequenti aratione novimus, ut et splendidior fiat et teratur, Cato in oratione ad filium: vir bonus, Marce fili, colendi peritus, cuius ferramenta splendent". Serv. ad. Verg. Geo. II, 95 Raeticam uvam Cato praecipue laudat in libris, quos scripsit ad filium.

Senec epist. 94, 27 emas non quod opus est, sed quod necesse est. quod non opus est, asse carum est.

Quae praeterea affert Jordanus, incertiora sunt, quam ut ex eis quidquam certi concludi possit, cum ea, quae citavi, praecepta, quia reliquis praeceptis ex libro ad filium desumptis simillima sunt, satis demonstrent Catonem in libris ad filium, quibus quae maxime Romano scienda essent, collegit, agriculturam quoque attigisse. Neque mirum est, quod hoc factum est, quin etiam consentaneum iam per se, quia agriculturae Romani tum maxime operam dederunt. De hoc igitur libro Servium cogitasse Klotzius et Keilius recte coniecerunt. Ab his vero praeceptis librum de agricultura, quem nos habemus, longe distare eis causis, quas supra attuli, satis efficitur.

Apud Varronem Cato nunquam citatur in libro III, bis in libro II.

Alter locus extat II, 3, 3. ubi expressis verbis eum ex originibus desumptum esse additur, quare ad nostram disputationem non quadrat, alter II, 4, 11. ubi verba haec sunt (utor Keilii editione): „de magnitudine gallicarum succidiarum Cato scribit his verbis: in Italia in scrobes terna atque quaterna milia aulia succidia X vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam. itaque eas si quis quo traicere volet, in plaustrum inponit.' Quae verba quin et ab editoribus et a Klotzio recte secundo origg.

libro attributa sint, dubitari nequit, cum nec in libro de agr. usquam de subus agatur et totus verborum color accommodatior sit originibus, quibus permultas de exteris animalibus et plantis narrationes insertas fuisse scimus, quam libro de agr., qui maximam partem ex praeceptis constat. Accedit, quod in libro II de Gallorum Ligurumque rebus actum esse certum est cf. Jordan. proll. p. XXXV sequ.

Restat liber primus Varronis de agricultura, ubi Cato his locis citatur: I, 2, 28: Quaeritur, quae res a cultura disiungendae sint, quae attribuendae, et vituperantur Sasernae, quia multa miracula apud eos inveniantur, quae sint diversa ab agricultura. unum narratur in verbis prioribus superioribus I, 2, 26. Ego, quod magis, inquam, pertineat ad Fundani valetudinem in eo libro, est satius dicas: nam huiusce pedes solent dolere, in fronte contrahere rugas. Dic sodes, inquit Fundanius: nam malo de meis pedibus andire quam quem ad modum pedes betaceos seri oporteat. Stolo subridens, Dicam, inquit, eisdem quibus ille verbis scripsit vel Tarquennam audivi; cum homini pedes dolere coepissent, qui tui meminisset, ei mederi posse. ego tui memini, medere meis pedibus, ‚terra pestem teneto, salus hic maneto in meis pedibus' (in meis pedibus interpolationem esse persuasum habeo) hoc ter noviens cantare iubet, terram tangere, despuere, ieiunum cantare.

Quasi vero, inquam, non apud ceteros quoque scriptores talia reperiantur. an non in magni illius Catonis libro, qui de agricultura est editus, scripta sunt permulta similia, ut haec, quem ad modum placentam facere oporteat, quo pacto libum, qua ratione pernas sallere? Illud non dicis, inquit Agrius, quod scribit ‚si velis in convivio multum bibere cenareque libenter, ante esse oportet brassicam crudam ex aceto, aliqua folia quin-

que'. Haec, quae apud Varronem commemorantur, re vera apud Catonem reperiuntur r. r. 76. 75. 162. Quae ad verbum citantur, apud Catonem 156, 1 sic exhibentur: Si voles in convivio multum bibere cenareque libenter, ante cenam esto crudam quantum voles ex aceto et item, ubi cenaveris, comesto aliqua V folia. reddet te quasi nihil ederis bibesque quantum voles', qui locus cum non plane cum Varronis verbis consentiat, accuratius examinandus est. Semper in libro de agr. sequente imperativo formula si voles exhibetur, nam si velis 140, quod Schoendoerfferus servat (conscripta est dissertatio eius artis criticae ratione non habita) sine dubio mutandum est in ‚si voles' comparatis his locis 18, 1; 8. 24. 25. 46, 2. 65, 2. 75, 20. 99. 101 bis. 108. 109. 111. 112. 114, 1, 2; 117. 120. 132, 2. 156, 2. 157, 5; 12; 13. 106, 2 (?).

Item imperativus esto magis respondet libri de agr. sermonis rationi quam verbum oportet, quod saepius quidem etiam in capp. 156. 157, quae seiunctim considerandae sunt, invenimus, sed semper, si in universum dicitur, quid faciendum sit; sin in enuntiatis secundariis altera persona scriptor utitur, in enuntiato generali imperativum ponit cf. 157, 1. 6. 8. 11. 12. Quare haec Varro de suo mutasse videtur, ut sermo paullo politior fieret. Gravius est, quod Varro ex Catone citat ante cenam esse oportere aliqua folia quinque, cum nunc in verborum ordine legamus ‚esto quantum voles'. Equidem mihi persuadere non possum Varronem tam neglegenter Catonem legisse, ut tantopere sententiam eius mutaret, etiamsi eum Catonis verba e memoria attulisse suspicamur. Accedit, quod Cato in capp. 156 et 157 semper dicit, qua portione brassicae utendum sit, et verba ‚quantum voles' redeunt in proximis verbis, ubi sensui optime re-

spondent. Denique praeceptum ‚esto quantum voles' ineptum est, quia is, qui id sequebatur, facile famem expellere poterat, ita ut non libenter cenaret. Quare verba ‚quantum voles' interpolata esse persuasum habeo. Sed etiam accuratius in Varronis verborum nexum eaque, quae antea dicta sunt, inquirendum est. Affert Stolo Sasernae carmen, quo podagra expelli possit. Varro respondet talia apud ceteros quoque scriptores inveniri. Atqui in Catone legitur in cap. 160, qua cantione luxus sanus fiat et ratio sanandi describitur, quae ei, quam Saserna attulerat, simillima est. Valde igitur mirum est, quod Varro Sasernam excusans affert, quem ad modum placenta fiat cet. inveniri apud Catonem, quae sine dubio quodammodo cohaerent cum agricultura, hoc ipsum caput, quod Sasernae plane respondet eumque optime defendebat, non affert. Nam eodem modo, quo apud Sasernam, in illo capite ea curatio morbi ‚quam nos ‚sympathie' nominamus, adhibetur carmenque additnr. Talequid enim quin in Catonis verbis: m o e t a s cet. lateat, dubitari nequit. Accedit, quod 'quamquam Cato sine dubio superstitiosus erat ut omnes Romani, tamen tam stultus fuisse non potest, ut tali modo morbos curari posse crederet.

Ex his ambagibus nullo alio modo expedire me possum quam ut hoc caput non esse Catonis, immo post Varronis tempora ex Saserna in Catonem irrepsisse dicam. Cum vero caput 160 interpolatum esse videatur, sine dubio caput 159 et ipsum eiciendum est, quod plane eundem colorem idemque consilium habet. De capite ipso cf. Jordan. krit. beiträge pag. 182. Bergk. Philol. XXI, 588. Sequitur Varro I, 7, 1: Stolo, Quod ad hanc formam naturalem pertinet, de eo non incommode Cato videtur dicere, cum scribit optimum agrum esse, qui sub radice montis situs sit et spectet ad meridianam caeli

partem, quae re vera inveniuntur r. r. I, 2, pariter ac I, 7, 9 apud Cat. r. r. I, 6.

Discrepantia contra extat proximo loco I, 18, 1: De familia Cato derigit ad duas metas, ad certum modum agri et genus sationis, scribens de olivetis et vineis ut duas formulas: unam, in qua praecipit, quo modo olivetum agri iugera CCXL instruere oporteat. Dicit enim in eo modo haec mancipia XIII habenda, vilicum, vilicam, operarios V, bubulcos III, asinarium I, subulcum I, opilionem I. alteram formulam scribit de vinearum iugeribus centum, ut dicat haberi oportere haec XV mancipia, vilicum, vilicam, operarios X, bubulcum, asinarium, subulcum'. In Catone alter locus cum Varrone consentit, altero contra dicitur haberi oportere XVI mancipia: vilicum, vilicam, operarios X, bubulcum I, asinarium I, salictarium I, subulcum I, summa homines XVI. Varronis verba confirmat Nonius p. 501: Varro dicit centum iugeribus vinearum opus esse quindecim mancipia. Neque tamen hanc discrepantiam magni momenti esse censeo, nam apud Varronem errore excidit salictarium, deinde XVI in XV mutatum est. Nonius Varronem exscripsit, cum salictarium excidisset. Proximus locus I, 19, 1, qui a Klotzio omittitur, sine discrepantia extat apud Catonem X, 1. XI, 1.

Deinde in capite XXI apud Varronem haec leguntur: Canes potius cum dignitate et acres paucos habendum quam multos, quos consuefacias [potius] noctu vigilare et interdiu clausos dormire.

Apud Catonem in capite CXXIV: Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores et vigilantiores sint, quae verba quin inter se cohaereant, dubium esse non potest. Atqui omnibus locis, quibus Varro Catone utitur, nomen eius addit, quare mirum est, quod hoc loco

Catonis nomen deest. Aut igitur sumendum est apud Catonem quondam plus lectum esse idque postea apud Varronem interpolatum esse eaque de causa nomen eius non nominatum aut summam capitis Varronis postea apud Catonem interpolatam esse. Cum vero Varonis caput sententiarum nexui plane respondeat, quia etiam in capp. XIX et XX de quadrupedibus disputatur, Catonis autem caput loco plane inepto extet, quia et antea et postea de vino dicitur, non dubito, quin post Varronem illud Catonis caput ex Varronis verbis interpolatum sit, quod eo confirmatur, quod Catonis verba quasi argumentum Varronis verborum sunt. Schneiderus in editione eandem sententiam protulit.

Sequitur Varro I, 22, 3:

Itaque ‚Stolo inquit, proposita magnitudine fundi — item alia.' Haec omnia inveniuntur in Catonis cap. X, quamquam num Varro illud caput plane eadem forma legerit, diiudicari non potest, quia non ad verbum citat, sed nonnulla exempla elegit. Sequitur Varro I, 22, 4: ‚‚Item alteram formulam instrumenti fundi vinarii fecit, in qua scribit, si sit C iugerum, habere oportere vasa torcularia instructa trina, dolia cum operculis culleorum octingentorum, acinaria viginti, frumentaria viginti, item eius modi alia'. Deinde addit Varro: quae minus multa quidem alii, sed tantum numerum culleorum scripsisse puto, ne cogeretur quotannis vendere vinum. vetera enim quam nova, et eadem alio tempore quam alio pluris.' Quae Varro scribere non potuit, si eadem apud Catonem legit quae nos: dolia, ubi quinque vindemiae esse possint culleum DCCC, dolia, ubi vinaceos condat XX, frumentaria XX', nam Cato expressis verbis dicit dolia tam magna sint oportere, ut quinque vindemiae servari possint, i. e. ne quotannis vendere vinum cogatur; verba

‚dolia ubi vinaceos condat' vero nihil sunt nisi explicatio vocabuli acinaria. Verba, quae Varro ex paragrapho superiore affert, pariter extant apud Catonem, quare illum hic quoque genuinam scripturam servasse verisimile est, ita ut hoc caput interpolatoris manum passum esse videatur. Denique I, 22, 5: Item sic de ferramentorum varietate scribit permulta, et genere et multitudine qua sint, ut falces, palas, rastros sic alia, quorum nonnulla genera species habent plures ut falces. nam dicuntur ab eodem scriptore vineaticae opus esse XL, sirpiculae V, arborariae III, rustariae X". ferramentorum genera, quae nominantur, apud Catonem extant, item falcium genera, nam quod paullo inferius demum nominat falculas vineaticas XL, falculas rustarias X (ita sine dubio scribendum cum Turnebo adv. VII, 23 pro faculas, quod codd. exhibent) premendum non est, quia Varro non ad verbum citat, sed quae inter se cohaerent, coniungit.

Sequitur I, 23, 7. 24, 1 sequ. 25. haec omnia eodem ordine eisdemque fere verbis apud Catonem leguntur in capite VI. Desunt apud Varronem verba ‚id maxime seri oportet', ‚hoc genus oleae in XXV aut in XXX pedes conserito', ‚in eis locis ripae aut —'. Ac primum quidem verba ‚hoc genus oleae in XXV aut in XXX pedes conserito', quamquam Varro id agebat, ut rationes cuique agro adaptatas nominaret eaque de causa haec verba omittere poterat, tamen, quin interpolata sint, non dubito, quia verborum nexum perturbant nec intellegitur, quod genus olearum, quae antea nominatae sunt, in animo habuerit scriptor. Idem censeo de verbis ‚id maxime seri oportet', quae nec per Varronem confirmantur et facile deesse possunt, cum simplex accusativus, tamquam absolute dictus, accommodatissimus sit

Catoni cf. Schoendoerffer p. 9. Accedit, quod dubium est, utrum verba ‚id maxime seri oportet' ad omnes quattuor, quae nominantur, fruges referenda sint an ad panicum solum, paullo post contra dilucidum est, quid verba ‚eam maxime serito' sibi velint. Deinde quod Varro dicit ‚circum fundum', Cato ‚circum coronas et circum vias' premendum non est, quod hic Varronem neglegentius citare toto verborum nexu apparet. Neque vero erat causa omittendi verba ‚in eis locis ripae aut', quia quae ad agri naturam et sationem pertinent, omnia accuratissime Varronem afferre iam supra vidimus eumque hic denuo ad verbum citare proxima ostendunt. Simulatque autem Cato ad culturam transit, Varronem sensum tantum reddere inde efficitur, quod loco verborum ‚nam convenit harundinetum cum corruda, eo quia foditur et incenditur et umbram per tempus habet, simpliciter ponit ‚aptam esse utrique eandem fere culturam'.

Varro I, 58 cf. Cato r. r. 7, 1. ubi maximam partem eadem leguntur, quamquam Catonis locus corruptus est, ita ut de hoc loco certum iudicium proferri nequeat. Tamen nescio, an hic quoque verba ‚in lora' et ‚in vinaceis' interpolatoris manum indicent. In proximi capitis initio Varro sine dubio Catonem ante oculos habebat.

Denique Varro I, 60, quo confirmatur Catonis cap. VII, 4.

Ex eis, quae adhuc disputavimus, efficitur nullo modo cum Klotzio dici posse, Varronem Catonis librum plane eadem forma in manibus habuisse qua nos, cum perpauca tantum capita eis, quae Varro affert, confirmentur. Immo vidimus ex Varrone effici duobus locis Catonis librum gravius interpolatum esse, nimirum caput 160 de luxu et cap. 124 de canibus, praeterea vero in eis quoque capitibus, quae Varronis locis confirmantur,

saepius breviores interpolationes inveniri. Quare concludere licet, etiam in eis libri de agricultura partibus, quae apud Varronem non citantur, aliis locis in verborum ordine breviores interpolationes extare, aliis tota capita ex diversis rerum rusticarum scriptoribus addita esse. Quae interpolationes ita tantum cognosci possunt, ut accurate totum libri de agricultura argumentum et sententiarum continuatio considerentur, quod incipere, non absolvere postea conaturi sumus. Irrepsisse vero necesse est has interpolationes in Catonem post annum a. u. 717. a. C. 37, quo anno Varronis de agricultura libros scriptos esse efficitur ex rer. rust. I, 1, 1. cf. Teuffel. hist. lit. Rom. p. 282.

Ex eis scriptoribus, quos Catonis de agr. librum in manibus tenuisse ex ipsorum operibus efficitur, sequitur Cicero, cuius ex verbis libri de senectute capiti 15 insertis Gesnerus colligit aut male Catonem descriptum esse eo ipso loco aut Catonem paullo disertius uberiusque egisse de natura et rationibus agrorum, frumentorum, vinearum, arborum. Ex eis, qui post Gesnerum de hac quaestione egerunt, Klotzius solus ad eius verba respexit in Jahnii annalium l. c. p. 54 haec fere locutus: ‚da nun Cato öfters in der schrift de re rustica von dem nutzen des düngens spricht, wie cap. 36. 37. 61, so wäre die sache abgemacht, denn was in dem vorhergehenden capitel Cicero Cato über die weincultur u. dgl. mehr sagen lässt, dies soll doch garnicht aus Cato's schrift entlehnt erscheinen, obschon die meisten gegenstände, wenn auch nicht in dem höheren ethischen sinne wie bei Cicero, in der schrift Cato's abgehandelt sind. Refert igitur Klotzius ea verba, quae Cicero Catonem loquentem facit: dixi in eo libro, quem de rebus

rusticis scripsi: tantum ad enuntiatum prius superius: quid de utilitate loquar stercorandi?

Neque potest negari Catonem re vera in eis, quae Klotzius affert, capitibus de stercorando verba facere, cum in cap. 36. dicat de variis generibus stercoris, in cap. 37 de herbis malis eisque, quae fruges stercorent, in cap. 61 in universum dicat, quid sit agrum bene colere? bene arare. quid secundum? arare, quid tertium? stercorare, quibus addere poterat Klotzius cap. 50, ubi disserit de tempore stercorandi; neque tamen, quamquam ea, quae commemoravimus, ita se habent, ullo loco libri de agr. uberius et explanatius de utilitate stercorandi loquitur. Sed cum verisimillimum sit Ciceronem omnino in libro de senectute parum diligenter rem egisse (vid. Sommerbrodt. praef. editionis fin. Lahmeyer. Cato maior [4], pag. 10 not. 1. Lütjohann. zur kritik von Ciceros Cato maior. mus. Rhen. 1882 p. 496), haec discrepantia non valde premenda est. Fortasse Cicero Catonis libro de agr. leviter tantum perlecto, cum non valde eum iuvaret res rustica, quippe cuius esset imperitus, postquam vidit eum in universum de stercore verba facere, censebat Catonem etiam utilitatem stercorandi describere, ut etiam verba Xenophontis Cyropaediae libri VIII cap. 7, 17 inserta parum accurate vertit in § 87 (Lahmeyer l. c. Lütjohann l. c.), fortasse librum Catonis omnino non inspexit. Cum porro in verbis proximis dicat, ‚de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet', elucet verba, ‚dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi' tantum referenda esse ad enuntiatum ‚quid de utilitate loquar stercorandi.' Quoniam igitur de capitibus prioribus non expressis verbis dicit, quae ex libro de agricultura hausta sint, quae non sint, diiudicare non possumus, utrum ea verba, quibus res tan-

guntur, quae nunc non in libro de agr. inveniuntur, Cicero ipse de suo addiderit an tum plura, quam nos nunc habemus, in eo libro tractata fuerint.

Hoc certe Klotzio concedi debet plurima eorum, quae Cicero affert, inveniri in libro de agr. velut de vitium ortu, satu, incremento, uno verbo de vitium cultura re vera verba facit in capp. 33; 49; 47. De frumento contra, quod Cicero commemorat in cap. 51, nihil invenitur in Catonis libro. Quare ex Ciceronis libro de senectute nihil certi colligi posse de Catonis libri de agricultura genuina forma efficitur, praesertim cum omnia locorum communium modo dicta et rhetorum more aucta sint.

Ut iam in exordio diximus Catonis liber de agr. apud Quintilianum nusquam citatur; qui quae ex Catone affert, partim singulae formae sunt, mea sententia desumptae ex Verrii Flacci libro, partim fragmenta orationum brevissima, partim disputationes rhetoricae de Catonis genere dicendi et arte oratoria, quare nihil certi de forma Catonis libri de agr. inde colligi potest.

Transeamus igitur ad Plinium, Columellam, Gellium. Apud Plinium Catonis liber de agr. permultis locis citatur, quas deinceps enumerabimus, eos solos accuratius tractantes, qui dubitationes movent vel suspiciosi sunt. Eos locos, quibus fragmenta aliorum librorum citantur, omittimus, item si Catonis nomen in fontium enumeratione nominatur, in verborum ordine non nominatur. In locorum ipsorum ordine Klotzium non sequemur, sed ad singula libri de agr. capp. adscribemus, quibus locis Plinianis citentur.

de agr. praef. = Plin. XVIII, 3, 11. 5, 26. XVIII, 3, 11: Agrum male colere censorium probrum iudicabatur, atque, ut refert Cato, cum virum laudantes bonum

agricolam bonumque colonum dixissent, amplissime laudasse existimabantur.

5, 26: Fortissimi viri et milites strenuissimi ex agricolis gignuntur minimeque male cogitantes.

Cato praef. et virum bonum quom laudabant, ita laudabant. bonum agricolam bonumque colonum. amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. — — At ex agricolis fortissimi viri et milites strenuissimi gignuntur minimeque male cogitantes.

r. r. 1 = XVI, 37, 176. XVII, 36. XVIII, 5, 26. 27. 28. 29. — XVIII, 5, 26: praedium ne cupide emas, in re rustica operae ne parcas, in agro emendo minime. quod male emptum est, semper paenitet. agrum paraturos ante omnia intueri oportet aquam, viam, vicinum.

27. Cato in conterminis hoc amplius aestimari iubet, quo pacto niteant. in bona enim, inquit, regione bene nitent.

28. Cato inter prima spectari iubet, ut solum sua virtute valeat, qua dictum est positione, ut operariorum copia prope sit oppidumque validum, ut navigiorum evectus vel itinerum, ut bene aedificatus et cultus, in quo falli plerosque video. — — de bono domino melius emi nec temere contemnendam alienam disciplinam, agroque ut homini, quamvis quaestuosus sit, si tamen et sumptuosus, non multum superesse.

29: ille in agro quaestuossimam iudicat vitem — — proxime hortos irriguos. Verba: Cato interrogatus, quis esset certissimus quaestus, respondit: si bene pascas, qui proximus? si sat bene: sine dubio non desumpta sunt ex libro de agr.; sed dictum memorabile Catonis sunt.

Plin. XVII, 36: idem agrum optimum iudicat ab radice montium planitie in meridiem excurrente.

XVI, 37, 176: tertium locum ei (salici) in aesti-

matione ruris Cato attribuit prioremque quam olivetis quamque frumento aut pratis.

Omnia haec, quae Plinius non ad verbum citat, inveniuntur in Catonis de agricultura libri capite I, ita ut dubitari nequeat, quin Plinius in eadem forma legerit qua nos.

r. r. 2 = XVIII, 5, 30.

eodemque pertinet, quod agricolam vendacem esse oportere dixit.

r. r. 3 = XVIII, 5, 31. 32. fundum in adulescentia conserendum sine cunctatione, aedificandum non nisi consito agro, tunc quoque cunctancter. — — sed ita ut villarum tutela non sit oneri: modus hic probatur, ut neque fundus villam quaerat neque villa fundum cf. H. Keil. obss. p. 75.

cf. r. r. 3 prima adulescentia patrem familiae agrum conserere oportet — — ubi aetas accessit ad annos XXXVI, tum aedificare oportet, si agrum consitum habeas. ita aedifices, ne villa fundum quaerat neve fundus villam.

r. r. 4 = XVIII, 5, 31. 6, 44.

31: eum tamen, qui bene habitet, saepius ventitare in agrum frontemque domini plus prodesse quam occipitium non mentiuntur. 44: et in primis Catonis humanissimum utilissimumque: id agendum, ut diligant se vicini.

r. r. 4. ruri si recte habitaveris, libentius et saepius venies: frons occipitio prior est. vicinis bonus esto.

r. r. 5 = XVI, 24, 92. XVII, 5, 34. XVIII, 6, 36; 44. Plin. XVIII, 36: dehinc peritia vilicorum in cura habenda est, multaque de his Cato praecepit cf. totum cap. 5.

XVII, 34: terram cariosam cave, neve plaustro neve pecore impellas cf. r. r. 5, 6. nescio an verba ‚ne ares'

interpolatoris sint, quia apud Plinium non extant neque proximis verbis ‚si ita non caveris, quo inpuleris, trienni fructum amittes' confirmantur. Nec offendendum est in duplici neve, quod non alienum fuisse a Catone ostendit r. r. 38: neve noctu neve ullo tempore intermittatur caveto cf. Schneider I, 2, p. 28. Verba: ‚segetem ne defrudet' redeunt ap. Plin. XVIII, 200: hoc pertinet oraculum illud magno opere custodiendum: segetem ne defruges. Vocabulum ‚oraculum' ostendit hoc proverbium rusticorum vel carmen sollemne fuisse, quod confirmatur Catonis verbis ‚nam id infelix est.'

Plin. XVI, 24, 92 exhibetur: quibus adicit Cato decidua ea populea quernaque animalibus iubens dari non perarida, bubus quidem, et ficulnea ilignaque et hederacea. frondem populneam quernamque non peraridam commemorat Cato r. r. 5, 8. ilignam et hederaceam et ficulneam 54, 1; 4. 6, 3. Ex Plinio concludere possis haec apud Catonem coniuncta dicta fuisse, sed manifesto non ad verbum citat, sed ita, ut meminerat, quare nihil eius verbis confirmari potest.

Denique Plin. XVIII, 6, 44: interim communia, quae succurrunt, non omittemus, et in primis Catonis humanissimum utilissimumque: id agendum, ut diligant se vicini. causas reddit ille, nos existimamus nulli esse dubias. haec in capite 4 legi iam vidimus; causae, quas Cato addit, hae sunt: si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces: si aedificabis, operis iumentis materie adiuvabunt: si quid bona salute usus venerit, benigne defendent. Pergit Plinius: inter prima idem cavet ne familiae male sit cf. 5, 1. — — de terra cariosa execratio Catonis abunde indicata est, quamquam praedicere non cessat is, quid-

quid per asellum feri potest, vilissime constare.

Gesnerus praef. p. 11, verba ‚quidquid per asellum fieri potest, vilissime constare, Catoniana esse dicit, quare cum in eis codicibus, quos nos habemus, non extent, Catonis librum retractatum et mutilatum esse concludit. Quem Klotzius l. c. p. 61. ita impugnat: die stelle ist bisher in den ausgaben sehr falsch also interpungiert: quamquam — cessatis: quidquid — potest, vilissime constat (constat r constare F ²) gleich als wäre das folgende ein ausspruch Catos. es ist dies wie die übrigen alle, wo nichts näheres angegeben ist, eine allgemein angenommene landwirtschaftliche maxime, die keineswegs Cato angehört, folglich ist Gessner. praef. pag. 11 in grossem irrtume, wenn er etwas daraus folgern will".

Atque imprimis animadvertendum est, verba Catonis non ad verbum citari, sed ad sensum, nam quae supra commemorantur ‚id agendum ut diligant se vicini', apud Catonem sic extant: vicinis bonus esto; quare non oportet in verbis „quidquid etc." unum esse Catonianum, etiamsi Catoni attribuas. Mea vero sententia locus sensum non habet, nisi post verba ‚cessatis' fortiter interpungitur, ita ut coniungendum sit: de terra cariosa execratio Catonis abunde indicata est, quamquam praedicere non cessat is'. et re vera terra cariosa saepius commemoratur in Catonis libro. deinde verba ‚quidquid per asellum fieri potest, vilissime constare' pendent a vocabulo censent, ita ut verba quidquid cet. parenthesis instar inserta sint. Totus igitur Plinii locus ita interpungendus est: nihil sero faciendum in agricultura omnes censent, iterumque suo quaeque tempore facienda et tertio praecepto praetermissa frustra revocari (de terra cariosa execratio Catonis

abunde indicata est, quamquam praedicere non cessat is) quidquid per asellum fieri potest, vilissime constare.

r. r. 6 = Plin. XIV, 4, 46. XV, 5, 20. XVI, 173. XVII, 93; 223. XVIII, 163. 337. XIX, 145.

Plin. XVIII, 163: igitur Catonis haec sententia est: in agro crasso et laeto frumentum seri, si vero nebulosus sit idem, raphanos, milium, panicum. XV, 20: nunc dicentur Catonis placita de olivis. in calido et pingui solo radium maiorem, sallentinam, orchitem, poseam Sergianam, Cominianam, albiceram seri iubet adicitque singulari prudentia, quam earum in iis locis optimam esse dicant, in frigido autem et macro licinianam. pingui enim aut ferventi vitiari eius oleum arboremque ipsam fertilitate consumi, musco praeterea et rubore infestari. spectare oliveta in favonium loco exposito solibus censet nec alio ullo modo laudat.

XVII, 93: olea tamen maximo intervallo, de qua Catonis Italica sententia est in XXV pedibus, plurimum XXX seri.

Supra ex Varrone ostendere conati sumus haec verba multis de causis, maxime quia apud Varronem non leguntur, interpolata esse videri. Quod si verum est, iam Plinius libri de agricultura formam interpolatam habuit eamque, quam nos habemus. Factae igitur sint necesse est illae interpolationes inter Varronem et Plinium i. e. primo post Chr. saeculo. Quae sententia eis respondet, quae ex scribendi ratione flexionibusque conclusimus.

XVII, 223.: Nocere tradit Cato etiam muscum rubrum.

XVIII, 337: tamen est siccior favonius — — in hunc spectare oliveta Cato iussit.

XVI, 173: Harundinis Italiae usus ad vineas maxime. Cato seri eam iubet in umidis agris bipalio subacto

prius solo, oculis dispositis intervallo ternorum pedum, simul et corrudam, unde asparagi fiant. cf. etiam cap. 47.

XIV, 4, 46: qui locus vino optimus dicetur esse et ostentus solibus, Amineum minusculum et geminum eugenium, helvium minusculum conserito. qui locus crassior aut nebulosior, Amineum maius aut Murgentinium, Apicium Lucanum serito. cetere vites miscellae maxime in quemvis agrum conveniunt. cf. r. r. 6, ubi omnia, quae attuli, deinceps extant.

r. r. 7 = Plin. XV, 5, 21. 14, 50. 56. 85. XIV, 4, 46.

XIV, 4, 46: in olla vinaceis conduntur Amineum minusculum et maius et Apicium, eadem in sapa et musto in lora recte conduntur, quas suspendas duracinas, Amineas maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis hae recte servantur. Haec extant ap. Caton. quoque VII, 1, 2, sine ulla discrepantia, nisi quod ibi legitur: vitem conpularia, aminnium minusculum vino et maius et apicium. uvae in olla in vinaceis conduntur, eadem etc., sed initium sine dubio gravius corruptum est.

Plin. XV, 50: Cato adicit Quiriana et quae tradit in doliis condi Scantiana cf. r. r. 7, 3. 56: praeterea dixit volema Vergilius a Catone sumpta, qui et sementiva et mustea nominat cf. r. r. 7, 4.

XV, 21: condi olivas optime orchites et posias vel virides in muria vel fractas in lentisco cf. 7, 4. 85: Cato et sorba condi sapa tradit cf. VII, 4.

r. r. VIII = Plin. XV, 18, 72. 74. 89. 122. 127. XIX, 5, 53. XXI, 1, 1.

Plin. XV, 72. Cato de ficis ita memorat: ficos mariscas in loco cretoso aut aperto serito, in loco autem crassiore aut stercorato Africanas et Herculaneas, Saguntinas, hibernas, Telanas atras pediculo longo cf. Cato

r. r. VIII, 1: qui exhibet africanas et Herculaneas, Sacontinas, hibernas, Tellanas atras pediculo longo, eas in — serito. vide, quomodo constructio vetusta Catonis ap. Plinium novata sit. Plin. XV, 74. Sed a Catone appellata iam tum Africana admonet cet. Plin. XXI, 1, 1: in hortis seri et coronamenta iussit Cato cf. r. r. 8, 2.

XIX, 93: Proxima hinc est bulborum natura, quos Cato in primis serendos praecipit celebrans Megaricos.

XV, 122: Cato tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, coniugulam cf. 8, 2.

XV, 127: duo eius (lauri) genera tradidit Cato, Delphicam et Cypriam 8, 2: loream delphicam et cypriam et silvaticam, quibus in verbis ‚et silvaticam' glossema esse persuasum habeo, quia lorea silvatica nec infra in capite 133, 2 nominatur nec apud Plinium citatur: Catonem vero simpliciter scripsisse, murtum, loream, infra erit demonstrandum.

XV, 18, 90: haec arbor (iuglans) an fuerit in Italia Catonis aetate dubitatur, quoniam Graecas nominat, quas quidam et in iuglandium genere servant. adicit praeterea abellanas et galbas, Praenestinas, quas maxime laudat et conditas ollis in terra servari virides tradit cf. 8, 2. 143, 3.

Capita 9 — 22 apud Plinium non citantur.

r. r. 23 = Plin. XIV, 129: Cato iubet vina concinnari — hoc enim utitur verbo — cineris lixivi cum defruto cocti parte quadringentesima in culleum vel salis sesquilibra, interim et tuso marmore. facit et sulpuris mentionem, resinae vero in novissimis. Super omnia addi maturescente iam vino iubet mustum, quod ille tortivum appellat, nos intellegimus novissime expressum.

Catonis verba 23, 2 haec sunt: Si opus erit, defrutum indito in mustum de musto lixivo coctum, partem

quadragesimam addito defruti vel salis sesquilibram in culleum. marmor si indes, in culleum libram indito. id indito in urnam, misceto cum musto: id indito in dolium. resinam si indes, in culleum musti P III, bene comminuito — ubi indideris defrutum aut marmor aut resinam, dies XX permisceto crebro, tribulato cotidie. tortivum mustum circumcidaneum suo cuique dolio dividito additoque pariter". Quod vocabulum cinis apud Catonem non extat, premendum non est, quia mustum lixivum sine dubio defrutum cum cinere lixivo commixtum est.

Recte autem Schneiderus p. 80 dicit, verbum concinnare hodie non apparere in Catonis libris, cum r. r. 22, 3, quod Klotzius citat, de re plane diversa agatur. Sed cum Plinius in universum dicat ‚Cato iubet vina concinnare, hoc enim utitur verbo', ita ut verba proxima exempli causa addita sint, inde nihil concludi potest, quia Cato saepius vocabula vinum concinnare usurpat cf. 122. 114. 115, 2. Gravius est, quod deest, sulphuris commemoratio ante verba ‚resinam si indes', nam explicatio Schneideri, ‚nisi malis cum Pontedera credere, Plinium neglegenter huc sulphur ex cap. 39 transtulisse', quam Klotzins recepit, nulla est, quia in capite 39 agitur de doliis picandis, non de vino concinnando nec verisimile est Plinium non accurate verba Catonis repetiisse, cum omnia reliqua recto ordine afferantur. Quare Schneideri coniecturas missas faciamus et statuamus cap. 23 Plinium aliter comparatum legisse ac nos.

r. r. 25 = XIV, 10, 86. non possunt iure dici vina, quae Graeci deuteria appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaceis cf. r. r. 25 in fin.

cap. 26 non citatur.

cap. 27. Plin. XVIII, 16, 143. Apud antiquos

erat pabuli genus, quod Cato ocinum vocat. cf. r. r. 27. adde c. 54.

r. r. 28 = XVI, 33, 139: Cupressus advena et difficillime nascentium fuit, ut de qua verbosius saepiusque quam de omnibus aliis prodiderit Cato cf. r. r. 48. 151.

Plin. XVII, 11, 83 arborem nec minorem bima nec maiorem trima transferre quidam praecipiunt, alii cum manum compleat, Cato crassiorem quinque digitis cf. 28, 2. XVII, 86: Cato omnes ventos et imbrem quoque in tota translatione damnat. Et ad haec proderit quam plurimum terrae, in qua vixerint, radicibus cohaerere ac totas caespite circumligari, cum ob id Cato in corbibus transferri iubeat, procul dubio utilissime, qui idem summam terram contentus est subdi. cf. 28, 1. 2.

denique XVII, 87 qua ratione et reliqua confessa omittimus, sicuti terram circa radices festuca cospissandam, quod Cato primum in ea re esse censet, plagam quoque a trunco oblini fimo et foliis praeligari praecipiens cf. 28, 2. 29 non citatur.

30 de fronde bubus danda iam dictum est. Reliquum citatur caput ap. Plin, XVII, 55: idemque: (Cato) ubi saturus eris frumentum, oves ibi delectato. quod Plinius dicit, ubi saturus eris frumentum, Cato ‚ubi sementim facturus eris', de suo mutasse videtur.

r. r. 31 = Plin. XVI, 230. Cato vectes aquifolios, laureos, ulmeos fieri iubet cf. r. r. 31. XVI, 193: Cato hominum summus in omni usu de materiis haec adicit: prelum ex sappino atra potissimum facito. ulmeam, pineam, nuceam, hanc atque aliam materiem omnem cum effodies, luna decrescente eximito post meridiem sine vento austro. tum erit tempestiva, cum semen

suum maturum erit cavetoque per rorem trahas aut doles cf. 31, 2.

Quae subsequuntur verba apud Plinium, ostendunt illum ea iam forma usum esse libri de agricultura, quam nos habemus.

cap. 32. non citatur.

cap. 33 = Plin. XVII, 22, 195 sequ. Cato de omni cultura vitium ita praecipit:

quam altissimam vineam facito alligatoque recte, dum ne nimium constringas. hoc modo eam curato: capita vitium (sequitur lacuna, quam Pintianus ex Cat. r. r. 33. supplevit: per sementem ablaqueato. vineam) putatam circumfodito arare incipito. ultro citroque sulcos perpetuos ducito. vites teneras quam primum propagato, sic occato, veteres quam minimum castrato. potius, si opus erit, deicito biennioque post praecidito. vitem novellam resecari tum erit tempus, ubi valebit. si vinea ab vite calvata erit (sine dubio calvus cum praepositione ab coniunctum Plinii temporibus non iam usitatum erat eaque de causa scripsit calvata), sulcos interponito ibique vivam radicem serito. umbram a sulcis removeto crebroque fodito.

In vinea vetere serito ocinum, si macra erit, (quod granum capit, ni serito) et circum capita addito stercus, paleas, vinaceas, aliquid horumce. (Verba ‚quo rectius valeat' omittit, unde nihil concludi potest, quia iam vidimus complures lacunas in hoc capite inesse.) Ubi vinea frondere coeperit, pampinato. vineas novellas alligato crebro, ne caulis praefringatur. et quae iam in perticam ibit, eius pampinos teneros alligato leviter porrigitoque (Cato corrigito levi discrepantia), uti recte stent. (Cato spectent, utrum rectum sit, difficillimum est dictu) ubi uva varia fieri coeperit, vites subligato.

Omnia haec ad verbum citata sunt ex Catonis cap. 33, ita ut totum caput 33 his confirmetur excepto initio usque ad verbum relinquito, quare hoc Schneidero valde suspectum est cf. pag. 90. Suspicatur ex capite antecedenti quaedam huc translata fuisse. Ac re vera pleraque in capite priore superiore inveniuntur, ita ‚susum vorsum semper ducito, quod eius poteris', ita ‚vitem bene nodatam deligato recte, flexuosa uti ne sit'. commemoratio vinariorum custodumque vero in hoc verborum nexu plane supervacanea est.

Sed color initii capitis 33 multo vetustior est quam 32, quod recentiorem manum indicare supra vidimus. Quare conici licet, haec verba esse reliquias genuini Catonis capitis, caput 32 praebere formam recentiorem. cap. 34. 35 = XVIII, 163. Igitur Catonis haec sententia est: — — in frigido vel aquoso prius serendum, postea in calido, in solo autem rubricoso vel pullo vel harenoso, si non sit aquosum lupinum, in creta et rubrica et aquosiore agro adoreum, in sicco et non herboso nec umbroso triticum, in solo valido fabam, viciam vero quam minime in aquoso herbidoque, siliginem et triticum in loco aperto et edito, qui sole quam diutissime torreatur, lentem in rudecto et rubricoso, qui non sit herbidus, hordeum in novali et in arvo, quod restibile possit fieri, trimestre ubi sementem maturam facere non possit et cuius crassitudo sit restibilis. Quod plane consentit cum Catonis verbis, praeterquam quod ille interdum plura habet, quod premendum non est, quia Plinius manifesto non ad verbum citat.

r. r. 37 = Plin. XVII. 55. 56. XVI, 194. Plin. XVII, 55. 56 exhibetur: Cato: stercus unde facias, stramenta, lupinum, paleas, fabalia ac frondis iligneam querneam. ex segete evellito ebulum, cicutam et circum

salicta herbam altam ulvamque. eam substernito ovibus. bubusque frondem putidam. Vinea si macra fuerit, sarmenta sua comburito et indidem inarato. Apud Catonem 37, 3 legimus: vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute et ibidem inarato aut infodito. Discrepantiae graviores non sunt quam ut librariis possint tribui. At verba ‚ibidem inarato' ostendunt eam lectionem rectam esse, quam Catonis codd. praebent. Pergit Plinius: Nec non et satis quibusdam ipsis pasci terram dicit. segetem stercorant fruges, lupinum, faba, vicia, sicut e contrario cicer, quia vellitur et quia salsum est, hordeum, fenum Graecum, ervum. haec omnia segetem exurunt et omnia, quae velluntur. Nucleos in segetem ne indideris. quare Plinius Schneidero initium capitis alio translocatum legisse videtur, quam sententiam Klotzius his verbis refellere conatur: es steht alles so auch bei Cato, nur dass Plinius eine umgekehrte reihenfolge annahm, wie er auch mit dem beisatze sicut e contrario angiebt. Quae Klotzius dicit de verbis ‚sicut e contrario', plane perversa sunt, nam haec sine dubio referenda sunt ad verba ‚segetem stercorant' stercorandique contrarium nocere significant. Nec ex Plinii verbis concludi potest, eum, quem habet, ordinem invenisse illum in suo Catonis exemplari, immo ita ut dispositio libri sui flagitabat, Catonem afferebat. Catonis verba confusa videntur, sed iudicium ferri non potest, nisi in totum libri de agr. argumentum inquiritur, quod infra conabimur. Ceterum omnia, quae modo attulimus, extant r. r. 37, 1. 2. Plin. XVI, 194: Nisi intermestri lunaque dimidiata ne tangas materiem. tum effodias aut praecidas abs terra. diebus VII proximis, quibus luna plena fuerit, optime eximitur. omnino caveto ni quam materiam doles neve caedas neve

tangas nisi siccam, neve gelidam neve rorulentam cf. r. r. 37, 4.

cap. 38 = Plin. XVIII, 24, 229. XXXVI, 23, 174. XXXVI, 23, 174: Calcem e vario lapide Cato Censorius improbat, ex albo melior cf. 38, 2. XVIII, 229: Cato de papavere ita tradit: virgas et sarmenta, quae tibi usioni supererunt, in segete comburito. ubi eas combusseris, ibi papaver serito cf. 38, 4.

ad cap. 39 Plin. XIV, 16, 129 a Klotzio citatur, sed vide, quae supra disputavimus. 40 = XVII, 14, 111. 22, 170. XVIII, 26, 243.

XVII, 22, 170: quiescere ventos sationis die utilissimum. plerique austros optant, Cato abdicat cf. 40, 1.

XVII, 111: Cato argillae vel cretae harenam fimumque bubulum admiscet atque ita usque ad lentorem subigi iubet idque interponi et circumlini (cf. 40, 2, 15, 4). ex eis, quae commentatus est, facile apparet illa aetate inter lignum et corticem nec alio modo inserere solitos aut ultra latitudinem duum digitorum calamos demittere cf. 40, 3. inseri autem praecipit pira ac mala — luna sitiente, praeterea post meridiem ac sine vento austro cf. 40, 1. mirum quod non contentus insitum munisse, ut dictum est, et caespite ab imbre frigoribusque protexisse ac mollibus bifidorum viminum fasciis, lingua bubula insuper optegi iubet eamque illigari opertam stramentis cf. 40, 4.

41 = Plin. XVII, 14, 111. 115. 198. inseri autem praecipit pira ac mala per ver et post solstitium diebus L et post vindemiam, oleas autem et ficos per ver tantum cf. r. r. 41, 1.

115: Cato vitem tribus modis inserit: praesectam findi iubet per medullam, in eam surculos exacutos, ut dictum est, addi, medullas iungi. altero, si inter se vites

contingant, utriusque in obliquum latere contrario adraso iunctis medullis colligari. tertium genus est terebrare vitem in obliquum ad medullam calamosque addere longos pedes binos atque ita ligatum insitum intritaque inlitum operire terra calamis subrectis cf. r. r. 41, 2, cuius capitis sententiam Plinius reddit.

Plin. XVII, 198: vitis insitio una est per ver, altera cum uva floret. ea optima est cf. 41, 1.

r. r. 42 = Plin. XVII, 16, 119. et apud Catonem, qui oleam ficumque sic inseri iussit mensura etiam praefinita secundum reliquam diligentiam suam, corticis scalpro excidi quattuor digitorum longitudinem et trium latitudinem atque ita coagmentari et illa sua intrita oblini, eadem ratione ut in malo cf. r. r. 42.

r. r. 43 = Plin. XVII, 10, 80. 81.

Cato, si locus aquosus sit, latos pedes ternos in faucibus imosque palmum et pedem, altitudine quattuor pedum, eos lapide consterni aut, si non sit, perticis salignis viridibus, si neque hae sint, sarmentis, ita ut in altitudinem semipes detrahatur cf. 43. Keilius obs. 75 suspicatur in Catone lacunam esse, quia Plinius addit haec: ‚ita ut in altitudinem semipes detrahatur'. Sed sine dubio Schneiderus p. 111 recte annotat, Plinium a sententia Catonis aberrasse videri, quia verba Catonis ad scrobes traxerit, ubi arbores plantentur, in eundemque errorem Keilius incidit. Nam verba ‚ita ut in altitudinem semipes detrahatur' sine dubio a Plinio posita sunt, ut reddatur sensus verborum: postea scrobes facito altos P. III S.

r. r. 44 = Plin. XVII, 127:

Olivetum diebus quindecim ante aequinoctium vernum incipito putare. ex eo die dies XL recte putabis. (XLV codd. Catonis), id hoc modo putato: qua locus

recte ferax erit, quae arida erunt, et si quid ventus interfregerit, inde ea omnia eximito. qua locus ferax non erit, id plus concidito aratoque bene enodatoque stirpisque leves facito. haec omnia ad verbum redeunt ap. Cat. XLIV.

r. r. 45 = Plin. XVII, 18, 125:

taleas oleagineas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas facito diligenterque tractato, ne liber laboret, cum dolabis aut secabis. quas in seminario saturus eris, pedales facito, eas sic inserito: locus bipalio subactus sit beneque gluttus. cum taleam demittes, pede taleam opprimito. si parum descendat, malleolo aut mateola adigito cavetoque ne librum scindas, cum adiges. palo prius locum ne feceris, quo taleam demittas, ita melius vivet. taleae ubi trimae sunt, tum denique curae sint, ubi liber se vertet. si in scrobibus aut in sulcis seras, ternas taleas ponito easque divaricato. supra terram ne plus quattuor digitos transversos emineant vel oculo servato (hoc corruptum esse videtur, nam Cato habet oculos). Haec omnia ad verbum extant ap. Catonem 45. Caput 46 ap. Plinium non citatur. Atqui multa in eo narrantur, quae in cap. 45 et ipsa extant, sed plane aliter comparata. Nam cap. 45 colorem multo elegantiorem et limatiorem habet, caput 46 rudiorem et vetustiorem. cf. cap. 46: in sesquipedem quoquovorsum taleam demittito opprimitoque pede. cap. 45: cum taleam demittes, pede taleam opprimito. deinde quae sequuntur, si parum deprimere poteris, malleo aut mateola adigito cap. 45: si parum descendet cet. adde, quae supra de coniunctivis diximus. Quare quamquam dicere non audeo caput 45 nihil esse nisi recentiorem formam capitis 46, quia in capite 45 tantum de taleis oleagineis praecipitur, in cap. 46 de seminario, id pro certo asseverare posse

mihi videor Catonem et ea tractasse, quae in cap. 46 et ea, quae in cap. 45 continentur, sed cap. 46 solum vetustum est, cap. 45 recentiorem formam indicat libri de agriculturae. Cum vero ea, quae Plinius affert, plane consentiant cum cap. 45, alio loco caput 33 afferat, quod vetustum esse supra ostendimus, efficitur Plinium libri de agricultura forma usum esse, in qua vetusta et recentiora commixta erant. Confirmatur haec sententia initio cap. 47 comparato Plinii loco XVI, 173, quem supra ad cap. 46. attulimus. Catonis sunt verba ‚sicubi locus umectus erit, bipalio vortito, ibi oculos harundinis pedes ternos alium ab alio serito; recentiora harundinem sic serito, ternos pedes oculos disponito, quae Plinius et ipsa legebat.

Valde suspiciosum esse mihi videtur caput 47, nam a Plinio non citatur, quamquam XVII, 195 sequ. omnia, quae de vitis cultura a Catone praecipiuntur, affert. Accedit, quod in forma nihil vetusti est cf. maxime elegantem periodum si pecus — ponas. Denique quid in hoc verborum nexu porrinae commemoratio sibi velit, equidem nescio; ridicula est

r. r. 48. Plin. XVI, 139, quem locum iam supra attulimus. XVII, 10, 71: Cato et furcis crates imponi iubet altitudine hominis ad solem recipiendum atque integi culmo ad frigora arcenda. sic pirorum malorumque semina nutriri, sic pineas nuces, sic cupressos semine satas et ipsas cf. 48, 2.

r. r. 49 = Plin. XVII, 198: Vineam veterem si in alium locum transferre voles, dumtaxat brachium crassam licebit. primum deputato. binas gemmas ne amplius relinquito. ex radicibus bene exfodito, et cave radices ne saucies. ita uti fuerit, ponito in scrobe aut in sulco operitoque et bene occulcato. eodemque modo vineam statuito

alligato flexatoque, uti fuerit, crebroque fodito cf. r. r. 49. quod plane consentit, praeterquam quod desunt apud Plinium verba: usque radices persequito.

cap. 50 = XVIII, 26, 243.

Cato verna opera sic definit: — — prata stercorari luna sitiente (silenti Cato), quae rigua non erunt, a flatu favoni defendi, purgari, herbas malas radicitus erui, ficos interputari, seminaria fieri et vetera sarciri, haec antequam vineam fodere incipias. idemque piro florente arare incipias macra harenosaque. postea uti quaeque gravissima et aquosissima, ita postremo arato. Priora inveniuntur cap. 50, in posterioribus Plinius ante oculos habebat cap. 131 Catonis: piro florente dapem pro bubus facito. postea verno arare incipito. ea loca primum arato, quae rudecta harenosaque erunt. postea uti quaeque gravissima et aquosissima erunt, ita postremo arato. Iam vidimus Plinium saepius complura coniunxisse, quae diversis Catonis libri locis legebantur.

Hic priora eorum, quae affert, desumpta sunt ex alia forma libri de agricultura ac posteriora, unde efficitur, in exemplari eius iam utramque formam commixtam fuisse. Nam ab eodem et ea, quae in capite 50 et ea, quae in capite 131 extant, scripta esse non posse apparet. Equidem non dubito, quin in genuino Catonis de agr. libro ordo sententiarum is fuerit, ut ‚fodere incipias' sequeretur ex cap. 131 ‚piro florente — facito', deinde ex cap. 50 ‚ubi daps profanata comestaque erit, verno arare incipito'. Statim adiunctum erat cap. 132 et deinde cap. 51, 52, quae sententia eo confirmatur, quod cap. 51, 52 in cap. 133 repetuntur.

Sequitur duas Catonis libri de agr. recensiones extitisse, quae commixtae et contaminatae sunt. Plinius

vero iam eo libro usus est, qui hoc modo ortus erat. (cf. Schneider p. 121. 166).

r. r. 51 cui statim adiungam r. r. 133, cum idem sit = Plin. XVII, 13, 96. 97 Cato propagari praeter vitem tradit ficum, oleam, punicam, malorum genera omnia, laurum, pruna, myrtum, nuces abellanas et Praenestinas, platanum. Propaginum duo genera: ramo ab arbore depresso in scrobem quattuor pedum quoquo et post biennium amputato flexu plantaque translata post trimatum, quas si longius ferre libeat, in qualis statim aut vasis fictilibus defodere propagines aptissimum, ut in his transferantur. Alteram genus luxuriosus, in ipsa arbore radices sollicitando traiectis per vasa fictilia vel qualos ramis terraque circumfartis, atque hoc blandimento impetratis radicibus inter poma ipsa et cacumina — — audaci ingenio arborem aliam longe a tellure faciendi ‚eodem quo supra biennii spatio abscisa propagine et cum quasillis sata'. Scrobes quattuor pedum fortasse Plinius de suo addidit, cum enumeratio arborum ostendat Plinium usum esse ea forma, quam caput 133 praebet. Atqui ap. Plin. XV, 44 haec leguntur: In totum quidem Persica peregrina etiam Asiae Graeciaeque esse ex nomine ipso apparet, atque ex Perside advecta. sed pruna silvestria ubique nasci certum est, quo magis miror, huius pomi mentionem a Catone non habitam, praesertim cum condenda demonstraret quaedam et silvestria.

Plinium memoria tantopere deseruisse non potest, ut hoc scriberet sibique ipsi obloqueretur, sed sine dubio ex alio scriptore desumpsit, qui capita 51, 52 sola legit, suspicor e Celso:

Inter sermonem capp. 51. 52 et 133 magna intercedit discrepantia: ita quidem, ut capita 51 et 52

Catonis verba praebeant, quae in capite 133 novata et mutata sunt. Recentiorem manum indicat futurum exactum loco futuri ‚nascentur' positum, quod in 'relativis enuntiatis sequente imperativo semper fere usurpatur. cf. Schoendoerffer pag. 82, item verba ‚capere possint', quae accuratius dicta sunt, quam simplex ‚capiant', item forma cypriam, cum in his vetustum plerumque servatum esse supra viderimus. Adde, quod praesenti oportet futurum oportebit, quod vocabulo propagari, quod postea semper fere sensu translato usurpatur, vocabulum seri substitutum est. Omnia haec grammatici manum indicant. Quam inepte prunus inserta est inter laurum et murtum, cum potius expectetur post verba ‚aliaque mala omnia', quam accurate singula genera lauri et murti nominata sunt. Omnia haec recentiorem manum indicant, quare non dubito, quin et mala strutea et nuces abellanae interpolatoris sint.

Reitzensteinius pag. 62 haec ponit: eiusdem libri capitibus 51 et 52 collatis cum capite 133 apparet nos habere eadem praecepta et Catonis verbis et limatiore sermone expressa, contaminatum autem esse hunc librum inter Plinii eiusque viri aetatem, de quo repetiit Plinius locum XV, 44. Atque re vera efficitur, eum, de quo repetiit Plinius XV, 44, eam libri de agricultura formam habuisse, in qua orthographia et interdum flexiones novatae erant, argumentum vero et sermonis ratio non mutata erant. Hanc formam eam fuisse necesse est, quam librum de agricultura ut omnes Catonis libros eo fere tempore, quo Christus natus est, induisse ostendere conati sumus. Praeterea vero paullo post, certe ante Plinii aetatem, liber de agricultura ita retractatus est, ut non solum tota capita nova insererentur (cf. quae supra de Varrone diximus), sed etiam argumentum additamentis et

interpolationibus augeretur et sermo limatior et illis temporibus accommodatior fieret.

Has duas libri de agr. formas contaminatas esse efficitur ex repetitione capitum 51 et 52 aliorumque, quae postea afferemus; ea forma, quae ita orta est, Plinium usum esse iam saepius ostendimus. Hoc exemplo denuo confirmatur falso Schoendoerfferum dicere sermonem per totum librum eundem esse, immo explicari possunt hoc tantum modo discrepantiae sermonis, quae intercedunt inter diversa libri de agr. capita, nec opus est, ut cum Keilio, Dietzio, aliis in eis offendamus. His ipsis discrepantiis supra iam demonstrare coepimus, quae capita recentiorem formam induerint, quae vetustam servaverint, quod priusquam perficiamus, testimonia a Plinio aliisque scriptoribus a Catone deprompta absolvamus.

ad cap. 133, 2 cf. Plin. XV, 122: Cato tria genera myrti prodidit: nigram, candidam, coniugulam.

127: duo lauri genera tradidit Cato, Delphicam et Cypriam.

r. r. 53 = Plin. XVIII, 260: Cato: fenum, inquit, ne sero seces. priusquam semen maturum sit, secato. ad vocabulum ocinum cf. Plin. XVIII, 16, 143. r. r. 54 de fronde bobus danda iam antea dictum est, de ocino modo.

r. r. 55 apud Plinium non citatur et suspiciosum est.

r. r. 56 = Plin. XV, 18, 82: utpote cum Cato cibaria ruris operariis iusta ceu lege sanciens minui iubeat per fici maturitatem.

r. r. 57 = XIV, 10, 86 cf. ad. r. r. 25.

r. r. 61 = Plin. XVIII, 19, 174. XVII, 126. XVIII, 174: In arando magnopere servandum est Catonis oraculum: quid est bene agrum colere? bene arare. quid secundum? arare. quid tertium? stercorare. sulco vario

ne ares. tempestive ares. — Plin. XVII, 126: diligenter eximere oleam oportet et radices quam plurimas cum terra ferre, ubi radices bene operueris, calcare bene, ne quid noceat. si quis quaerat, quod tempus oleae serendae sit, agro sicco per sementim, agro laeto per ver.

ibid. 127: qui oletum saepissime et altissime miscebit, is tenuissimas radices exarabit. si male arabit, radices susum abibunt, crassiores fient et eo in radices vires oleae abibunt.

Omnia haec extant in capite 61 cf. etiam cap. 28 et 27. sed valde dubito, num is ordo, qui nunc est in cap. 61 recte se habeat. Id certe Schneiderus p. 128 recte dicit verba ‚agrum — ne ares' collocanda esse statim post verba ‚tertio, stercorare', nam verba cetera cultura cet. nullo modo conveniunt ad agrum frumentarium. Ac nescio, an praeceptum capiti 176 insertum: sunt et his suae leges: lutosam terram ne tangito. vi omni arato, priusquam ares proscindito' quae verba plane Catoniana sunt, huc quadret. Tum subiungenda sunt verba: qui oletum — abibunt.

Reliqua vero inde a cultura — usque ad ‚agro laeto per ver' nostra quidem sententia recentiorem formam capp. 28 et 27 indicare iam commemoravimus, quo denuo confirmatur in Plinii exemplari iam eodem modo quo in libro, quem nos habemus, recentiora et vetustiora commixta fuisse, nam XVII, 83. 86. 87 capita 28 et 27 citat.

capp. 62 et 63 non citantur.

r. r. 64 = Plin. XV, 5, 21.

oleum in tabulato minui deteriusque fieri, item in amurca et in fracibus cf. r. r. 64.

r. r. 65 = XV, 5, 21. 22.

cetero quam primum e terra colligendam, si inquinata

sit, lavandam, siccari triduo satis esse. cf. r. r. 65, 1. oleum quam acerbissima oliva optimum fieri cf. 65, 1 si gelent frigora, quarto die premendam. hanc et sale aspergi.

Plin. XV, 22: ferventibus omnia ea fieri clausisque torcularibus et quam minime ventilatis (cf. 65, 2). quare saepius die capulandum (r. r. 66). praeterea in conchas et plumbeas cortinas, aere vitiari. ex cortinis in labra fundendum, ut fraces et amurca linquantur. cf. r. r. 66.

r. r. 67 = XV, 5, 22: ideo nec ligna ibi caedi oportere (quod verba ‚qua de causa e nucleis ipsarum ignis aptissimus' apud Catonem desunt, suspicionem non movet, quia sine dubio additamentum Plinii sunt) ob id crebrius vasa mutanda, fiscinas spongia tergendas, ut quam maxime pura sinceritas constet.

r. r. 69 = Plin. XV, 33: Super omnia vero celebravit amurcam laudibus Cato. dolia olearia illa imbui, ne bibant oleum. Cum capite 69, ad quod Plinii locum citavi, coniungendum est caput 100, in quo plane eadem res tractatur. Plinium ea forma usum esse, quam caput 100 praebet, ostendunt verba ‚ne bibant oleum', quae in capite 100 redeunt, in capite 68 non extant. Nec dubium esse potest, quin in capite 100 forma recentior servata sit, in capite 69 forma vetustior. Confirmatur haec sententia eo, quod in locum vocabuli dolia, quo Cato semper utitur, substituta est vox graeca ‚metreta'.

Sed sine dubio caput 100 locum indicat, quo in integro Catonis libro haec res descripta erat, inter ea capita, in quibus de usu amurcae verba fiunt, cum antea caput LXIX loco plane inepto positum sit.

r. r. 70 = Plin. XXV, 2, 4. Minus hoc (medicinam) quam par erat nostri celebravere omnium utilitatium et virtutum rapacissimi, primusque et diu solus idem ille

M. Cato, omnium bonarum artium magister, paucis dumtaxat attigit, boum etiam medicina non omissa. cf. etiam 73.

r. r. 87 — XVIII, 7, 76. 77: amylum vero ex omni tritico et siligne — iam et Catoni dictum apud nos.

r. r. 91 = Plin. XV, 8, 33. XVIII, 295. XV, 33: amurca subigi areas terendis messibus, ut formicae rimaeque absint.

XVIII, 295. aream messi praeparare, Catonis sententia amurca temperatam cf. etiam r. r. 129. Alterum caput ex altera forma insertum esse mea quidem sententia certum est, cum eundem scriptorem bis eisdem fere verbis de eadem re praecipere posse posteriore loco prioris ratione non habita negem, nisi forte sanam mentem ei abiudicare vis. Atque Schneiderus ad caput 129 annotat: haec eadem supra c. 91. minus integra ex parte leguntur, ubi vide notas", ita ut caput 91 Catoni abiudicare videatur.

Plinium forma capitis 129 usum esse certum est, quia illius aetatis sermoni magis respondet, ut ostendunt verba eius ‚terendis messibus' et ‚messi praeparare', quorum in capite 91 nihil extat. De coniunctivis, qui accommodati non sunt Catonis sermoni, iam dictum est. Praeterea verba ‚ubi frumentum teratur' additamentum supervacaneum sunt. Denique nescio, an vocabulum cylindro et ipsum manum recentiorem indicet: formam certe non esse Catonis, supra vidimus. Quare non dubito, quin caput 129 sit recentior forma capitis vere Catoniani 91.

r. r. 92 = Plin. XV, 8, 33.

quin et lutum parietum ac tectoria et pavimenta horreorum frumenti amurca adspergi cf. etiam r. r. 128, ubi idem fere loco plane inepto repetitur, sed transfertur ad totam habitationem, Schneideri sententia inepte.

Ac primum quidem dubium esse non potest, quin

utrumque caput misere truncatum sit, nam in cap. 92 deest murium commemoratio, qui principio nominantur, in cap. 128 vero titulus deperditus est, cuius in locum interpolator titulum plane ineptum ‚habitationem delutare' substituit. Suspicor titulum fuisse ‚Granarium sic delutato'. Deinde verba ‚neque herba nascentur' sine dubio huc falso translata sunt de area nec verba ‚ita neque aspergo nocebit' ferri posse Schneiderus recte annotat. Immo scribendum est talequid: „delutato granarium totum, id amurca aspergito. eo frumentum refrigeratum condito, curculio non nocebit neque mures cava facient neque lutamenta scindent se".

Caput 92 vero recentiorem formam praebere efficitur comparatis verbis ‚lutum de amurca facito, palearum paulum addito' cum vetustiore constructione ‚terram quam maxime cretosam vel rubricosam, eo amurcam infundito, paleas indito'. Etiam forma macerescant suspiciosa est, cum nec apud Catonem, qui saepe exhibet ‚macerare', nec ullo alio loco hoc verbum extet. Plinius certe et caput 92 et cap. 128 novit, nam quae in utroque extant, coniungit r. r. 93. 94 = Plin. XVI, 33. XVII, 28, 262. XV, 33: morbis quadripedum, arborum quoque illa medendum.

VII, 28, 262 Cato et medicamenta quaedam componit, mensurae quoque distinctione, ad maiorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam, amurcae et aquae portione aequa, ablaqueatis prius radicibus paulatim adfundi iubens, in olea hoc amplius, stramentis ante circumpositis, item fico, huius praecipue vere terram adaggerari radicibus, ita futurum ut non decidant grossi maiorque fecunditas nec scabra proveniat. — Quae Plinius praecipit, extant in capite 93 et 94, sed eadem verba Plinius legisse non potest. Neque enim dicitur in capite

93, ad maiorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam adfundendam esse. Dicitur hoc in capite XXXVI, loco plane inepto, quare non dubito, quin Plinius haec capita coniunxerit, quo denuo confirmatur, in illius exemplari utrumque extitisse. quod in cap. 36 non dictum est stramenta antea circumponenda esse, inde explicandum est, quod in capite 36 lacinia tantum alterius recensionis servata sunt. Ceterum coniunctivum spargas vel inriges capitis XXXVI accommodatum esse recentiori formae iam vidimus, confer etiam verba ‚cum aqua commisceto aequas partes' et verba elegantiora capitis XXXVI ‚cum aquae dimidio'.

r. r. 95 = XV, 8, 83. XVII, 28, 264. XVII, 264: simili modo, ne convolvulus fiat in vinea, amurcae congios duos decoci in crassitudinem mellis, rursusque cum bituminis tertia parte et sulpuris quarta sub diu coqui, quoniam exardescat sub tecto. hoc vites circa capita ac sub bracchis ungui. ita non fore convolvolum.

XV, 33, morbis arborum quoque illa medendum.

Argumentum verborum Plinii consentit cum Catonis capite 95, in quo coelo interpolatum esse ad vocem ‚dio' explicandam persuasum habeo.

r. r. 96: = XV, 34. lora etiam et coria omnia et calceamina axesque decocta ungui.

r. r. 98 = Plin. XV, 33 vestiaria etiam contra teredines ac noxia animalium amurca adspergi atque aeramenta contra aeruginem colorisque gratia elegantioris et totam supellectilem ligneam.

r. r. 99 = Plin. XV, 34. ac vasa fictilia in quis ficum aridam libeat adservare.

100 = XV, 33. dolea olearia cadosque illa imbui, ne bibant oleum.

r. r. 101 cf. Plin. XV, 34.

aut si folia bacasque in virgis myrti aliudve quod genus simile. De capite 102, quod sine dubio nexum eorum, quae de amurca dicuntur, interrumpit, vide Keilium obs. crit. p. 73, qui hoc a reliquis boum medicamentis, quae c. 70 sequ. tradita sint, male disiunctum esse sine dubio recte disputat. r. r. 103 cf. XV, 33. morbis quadrupedum quoque illa medendum. Restant Plinii verba: semina frugum perfundi, efficace ad ulcera interiora humani quoque oris. postremo ligna macerata amurca nullo fumi taedio ardere.

quae proximo loco posui, inveniuntur in capite 130, quod sine dubio cum eis, quae modo tractavi, coniungendum est. Confirmatur haec sententia eis, quae de capitibus 128 et 129 diximus.

Ea vero, quae Plinius verbis: semina frugum perfundi amurca, efficace ad ulcera interiora humani quoque oris' significat, frustra in libro de agr., quem nos habemus, quaeres, quamquam quin Plinius re vera ea legerit in suo exemplari, vix dubitari potest.

Num ea in Catonis genuino libello extiterint, diiudicari non potest. Nam facile in tali enumeratione nova praecepta inseri posse quis est qui neget?

Denique restat quaestio, utrum is ordo, quem Plinius in describendo amurcae usu sequitur, an is, qui nunc in Catonis libris mss. invenitur, rectus sit, quam quaestionem tractandam quintae parti relinquamus.

r. r. 104—111 apud Plinium non citantur.

r, r. 112 = XIV, 8, 79.

nec non apud nos quoque Coum vinum ex Italico faciendi rationem Cato demonstravit, super cetera in sole quadriennio maturandum praecipiens cf. 112. 113.

r. r. 114 = Plin. XIV, 16, 110.

sic et helleboriten fieri ex veratro nigro Cato docet

cf. r. r. 114. 115. Plinius sine dubio meminit capitis 115, 1.

Capite 115, 2 et 114 nobis iterum duas formas eiusdem capitis servatas esse elucet. Nec dubium esse potest, quin caput 114 vetustiorem formam praebeat; capitis 115 nota inscriptionem, ‚vinum ad alvum movendam concinnare', in qua infinitivus eodem modo positus est quo supra in cap 7. infra in cap. 128, quod interpolatoris esse supra ostendisse nobis videmur. Vide, quo modo constructio vetusta „eas radices dato circum vitem et stercus — circumdato radices vitis", mutata sit in elegantiorem „circumponito circum radices".

r. r. 116 = Plin. XVIII, 308. alii, qui lentem aceto laserpiciato respergant siccatamque oleo unguant. capp. 117—124 apud Plinium non citantur.

r. r. 125 = Plin. XIV, 16, 104. XV, 29, 123. XIV, 16, 104: Myrtiten Cato quemadmodum fieri docuerit, mox paullo indicabimus.

XV, 123: Cato docuit vinum fieri e nigra siccata usque in ariditatem in umbra atque ita musto indita, si non siccentur bacae, oleum gigni. Postrema Cato non habet.

capp. 126. 127 non citantur apud Plinium.

de capp. 128, 129, 130, 131, 132, 133 iam supra dictum est.

r. r. 139 cf. Plin. XVII, 267.

idem arbores religiosas lucosque succidi permisit sacrificio prius facto, cuius rationem precationemque eodem volumine tradidit.

de capp. 142, 143 infra erit disputandum.

144 = Plin. XV, 11 quippe olivantibus lex antiquissima fuit: oleam ne stringito neve verberato.

capp. 145—150 non citantur.

cap. 151, Plin. XVI, 139.

cupressus advena et difficillime nascentium fuit, ut de qua verbosius saepiusque quam de omnibus aliis prodiderit Cato.

Sequitur Plinium exempla Catonis habuisse, in quibus diversis locis de cupresso ageretur. Neque tamen dubitari potest, quin capita 151 et 48 recte se non habeant. Is Plinii locus, quem supra citavimus ad cap. 48, ostendit, illum ea forma usum esse, quam caput 43 praebet. Utra recta sit, postea erit videndum.

Plin. XVI, 141 huic patria insula Creta, quamquam Cato Tarentinam eam appellat, credo, quod primum eo venerit. Haec ad caput 151 solum referri possunt, unde efficitur Plinium et caput 48 et 151 legisse. terra pulla ex Catone citatur ap. Plin. XVII, 36.

152 = 26.

153 cf. Plin. XIV, 86: tertium est faecibus vini expressum, quod faecatum Cato appellat.

capp. 154 et 155 non citantur.

de capp. 156 et 157 vide, quae Keilius dicit p. 74. brassicae praecepta ita explicata esse, quasi nihil de ea ante dictum esset, quamquam in eo capite, quod antecedat, copiose eadem res tractata sit. His et ipsis nostra sententia confirmatur, in Catonis libris duas recensiones commixtas esse eoque summas perturbationes et iterationes ortas esse. Citantur capita ap. Plinium his locis:

Plin. XIX, 57: hortorum Cato praedicat caules.

XX, 78. brassicae laudis longum est exsequi, cum et Chrysippus medicus privatim volumen ei dicaverit — et Cato non parcius celebraverit, cuius sententiam vel eo diligentius persequi par est, ut noscatur, qua medicina usus sit annis DC Romanus populus.

Plin. XIX, 136: sed Cato brassicae miras canit

laudes, quas in medendi loco reddemus. genera eius facit: extentis foliis, caule magno, alteram crispo folio, quam apiacam vocant, tertiam minutis caulibus, lenem, teneram minimeque probat cf. 157, 1. 2.

XX, 80: Cato crispam maxime probat, dein levem grandibus foliis, caule magno cf. 157, 2.

prodesse tradit capitis doloribus, oculorum caligini scintillationique, lieni, stomacho, praecordiis crudam ex aceto ac melle, coriandro, ruta, menta, laseris radicula sumptam acetabulis duobus matutino, tantamque esse vim, ut qui terat haec, validiorem fieri se sentiat. cf. 157, 6, 7, ubi tamen nonnulla, quae Plinius affert, desunt. Omnino in eius exemplari statim secutum esse videtur cap. 157, 6 cap. 157, 2. 81: ergo vel cum his tritam sorbendam vel ex hoc intinctu sumendam, podagrae autem morbisque articularis inlini cum rutae, coriandri et salis mica, hordei farina, aqua quoque eius decocta nervos articulosque mire iuvari. si foveantur vulnera et recentia et vetera, etiam carcinomata, quae nullis aliis medicamentis sanari possint, foveri prius calida aqua iubet ac bis die tritam imponi cf. 157, 7. 8. 5. 3.

82: sic etiam fistulas et luxata et tumores evocari quaeque discuti opus sit, insomnia etiam vigiliasque tollere decoctam, si ieiuni edint quam plurimam ex oleo et sale (quae fortasse pertinent ad 156, 1.) tormina, si decocta iterum decoquatur addita oleo, sale, cumino, polenta cf. 157, 9. 156, 5. si ita sumatur sine pane, magis profuturam. inter reliqua bilem detrahi per vinum nigrum pota c. 157, 9. 10. quin et urinam eius, qui brassicam essitaverit adservari iubet, calefactamque nervis remedio esse. verba ipsius subiciam ad exprimendam sententiam: pueros pusillos si laves ea urina, numquam debiles fieri". cf. 157, 10. auribus quoque ex vino

sucum brassicae tepidum instillari suadet idque etiam tarditati audientium prodesse asseverat et inpetigines eadem sanari sine ulcere 157, 16.

Plin. 92: silvestris sive erraticae immenso plus effectus laudat Cato, adeo ut aridae quoque farinam in olfactorio collectam, vel odore tantum naribus rapto, vitia earum graveolentiamque sanare adfirmet cf. 157, 12. 15. Videmus igitur ea, quae Plinius nominat, pleraque inveniri in capp. 156. 157. 158.

r. r. 158 = Plin. XIX, 4, 57. 136. XX, 9, 78.

r. r. 159 = XXVI, 8, 91 intertrigines negat fieri Cato absinthium Ponticum secum habentibus cf. quae supra disputavimus ad Varronem. Sequitur Plinium iam usum esse Catonis libro contaminato.

160 = Plin. XVII, 28. 267. XXVIII, 2, 21. XVII, 267: mira quaedam excogitante sollertia humana, quippe cum averti grandines carmine credant plerique, cuius verba inserere non equidem serio ausim, quamquam a Catone traditis contra luxata membra iungenda harundinum fissurae.

XXVIII, 2, 21: Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliare cf. quae supra ad Varronem disputata sunt. efficitur Plinium hoc caput, quod nobis interpolatum videbatur, legisse in suo Catonis exemplari.

Denique r. r. 161 = XIX, 8, 147, 148. Nihil diligentius comprehendit Cato, novissimumque libri est, ut appareat recentem hanc notitiam fuisse. locum subigi iubet umidum aut crassum, semipedali undique intervallo seri, ne calcetur, praeterea ad lineam grana bina aut terna paxillo demitti — — id fieri secundum aequinoctium vernum, stercore satiari, crebro purgari, caveri ne cum herbis evellatur asparagus, primo anno stramento ab hieme protegi, vere aperiri, sariri, runcari, tertio in-

cendi verno. quo maturius incensus est, hoc melius provenit, itaque harundinetis maxime convenit, quae festinant incendi. sariri iubet idem non antequam asparagus natus fuerit, ne in sariendo radices vexentur. ex eo velli asparagum ab radice, nam si defringatur, stirpescere et intermori, velli, donec in semen eat. id autem maturescere ad ver incendique ac rursus, cum apparuerit asparagus, sariri ac stercorari. ac post annos VIII, cum iam vetus sit, digeri subacto stercoratoque, tum spongeis seri, singulorum pedum intervallo. quin et ovillo fimo nominatim uti, quoniam aliud herbas creet'. Sequitur, ut Plinius eadem verba legerit, quae nos adhuc habemus. Dubitationem tantum movent verba „novissimumque libri est", quae, cum non sit novissimum libri, Gesnerus censet optime demonstrare Catonis libri ordinem perturbatum esse, quia novissimum nihil sequi possit, quod Schneiderus et maxime Klotzius refellere conatur. Certe in Plinii exemplari de asparago novissimo loco agebatur, nam quae Schneiderus et Klotzius dicunt, nugae sunt, ita ut caput 162, cuius argumentum Catonis esse Varronis locus, quem supra attulimus, ostendit, Plinius alio loco legisse videatur. Quae adhuc tractavimus, eis hi Plinii loci adiungendi sunt. XV, 20, 84. XVIII, 3, 23.

maxime Plinius XVIII, 6, 34: Agri ipsius bonitas quibus argumentis iudicanda sit, quamquam de terrae genere optimo disserentes abunde dixisse possumus videri, etiamnum tamen traditas notas subsignabimus Catonis maxime verbis: ebulum vel prunus silvestris vel rubus bulbus minutus, trifolium, herba pratensis, quercus, silvestris pirus malusque frumentarii soli notae, item nigra terra et cinerei coloris. omnis creta coquet, nisi permacra, sabulumque, nisi id etiam pertenue est, et multo campestribus magis quam clivosis respondent

eadem. Klotzius ad hunc Plinii locum citat r. r. 34. 151, 2. 37, 2 neque inde effici, Catonem pleniorem Plinio in manibus fuisse disputat, sed illis locis nihil invenitur, quod cum hoc loco conferri possit.

Praeterea Plinii verba ‚Catonis maxime verbis' indicant Plinium accuratius citare, quamquam hunc locum desumptum esse ex recentiore forma libri de agr. ostendit commemoratio pruni. Efficitur eum librum, quo Plinius usus est, etiam post illius tempora mutilatum esse. Quantum vero eorum, quae Plinius citat, in genuino Catonis libro extiterit, dici nequit.

Comparatis igitur eis locis, quos Plinius affert, cum libro de agr., quem nos habemus, efficitur extitisse duas formas libri de agricultura, alteram genuino libro simillimam, alteram interpolatam et auctam, in qua non solum orthographia et flexiones mutatae erant, sed etiam multis locis syntaxis novata, aliis novae res insertae erant. Hae duae formae paullo ante Plinii tempora ab grammatico ita contaminatae sunt, ut modo in genuina Catonis capita breviora ex altera forma enuntiata insererentur (cf. quae diximus de cap. 6. 7. 11), modo longiora (cf. quae diximus de cap. 45 et 46), modo, ubi graviores discrepantiae extabant, et caput ex vetusta et caput ex recentiore forma desumptum reciperetur. Nonnulli Plinii loci suspicionem movent, hunc librum paullo pleniorem fuisse quam eum, quem nos habemus, sed plerumque cum hoc consentit.

Quae sententia reliquorum scriptorum locis, quibus Cato citatur, non refellitur, sed confirmatur.

Apud Gellium Catonis de agricultura liber duobus tantum locis citatur. Gell. III, 14: M. etiam Cato in libro, quem de agricultura conscripsit: Semen cupressi serito crebrum ita uti linum seri solet. Eo cribro terram incernito dimidiatum digitum. Iam id bene tabula

aut pedibus aut manibus complanato cf. r. r. 151, 3, quod ad verbum consentit.

Gell. X, 26, 8. Atqui Cato in libro de re rustica fundus, inquit, eo in loco habendus est, ut et oppidum prope amplum sit et mare aut amnis, qua naves ambulant cf. r. r. 1, 3. pro ‚amplum' Catonis libri mss. habent validum, cuius in locum sine dubio Gellius vocabulum suo tempore magis accommodatam substituit.

Transeundum est ad Columellam, ubi Cato saepius citatur, sed semper ita, ut Columella sensum verborum eius rhetorice exornatum reddat. Praeterea nunquam accurate dictum est, quo ex libro locus laudatus desumptus sit.

Colum. I, 1. 12: et ut agricolationem Romana tandem civitate donemus, iam nunc M. Catonem Censorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus instituit.

I, 2, 2: Nam illud vetus est Catonis, agrum pessime multari, cuius dominus, quid in eo faciendum sit, non docet, sed audit villicum. Klotzius citat r. r. 5, 3. 142, ubi nihil simile extat. sed iure annotat Keilius, haec verba ex alio libro hausta esse posse, quem praecepta ad filium vel apophthegmata esse vel orationes censorias propter acerbitatem censet. Mihi maxime placent praecepta, quia in illis de agricultura quoque actum esse scimus. cf. Keilius p. 75. Colum. I, 3, 1. longum est omnia ad verbum repetere, quae ibi Columella Catoni tribuit. Extant apud Catonem r. r. 1. haec verba: uti bonum caelum habeat, ne calamitosum siet. solum bonum, sua virtute valeat, quae summam verborum Columellae continent. Quae deinde subiungit, extant apud Varronem I, 2, 8. I, 4, 3; ad paragraphum tertiam cf. Catonem I, 3; 4. ubi de via, aqua, vicino dicitur, reliqua ap. Varronem I, 16. Vide neglegantiam incredibilem Columellae,

qua satis ostenditur, nihil ex eo posse confirmari. cf. Keil. p. 75.

Colum. I, 4, 1: sequitur deinceps Caesonianum praeceptum, quo fertur usus etiam Cato Marcus, agrum esse revisendum saepius, quem velis mercari. cf. Cato r. r. 1, 1.

Colum. I, 4, 8. Eleganter igitur aedificet agricola: nec sit tamen aedificator, atque areae pedem tantum complectatur, quod ait Cato, quantum ne villa fundum quaerat neve fundus villam. cf. III, 1. ubi codices Catoniani ‚neve fundus villam' non habent, neque tamen dubitari potest, quin supplendum sit cf. Keil. obs. crit. p. 75.

Colum. I, 8, 7. villicus enim, quod ait Cato, ambulator esse non debet nec egredi terminos, nisi ut addiscat aliquam culturam cf. r. r. 5, 2. Etiam I, 8, 20 Columella Catonis caput 2 ante oculos habuisse videtur, quamquam non citat eum.

Colum. II, 2, 6: Tertia est ratio loci rigui, quia sine impensa fructum reddere potest. Hanc primam Cato esse dicebat, qui maxime reditum pratorum ceteris anteponebat. ubi Columella ante oculos habuisse videtur cap. 3.

Columella II, 16, 2: M. quidem Porcius et illa (prata) commemoravit, quod nec tempestatibus affligerentur, ut aliae partes ruris, minimique sumtus egens, per omnes annos praeberet reditum neque eum simplicem, cum etiam pabulo non minus redderet quam in foeno.

De pratis dicit Cato in cap. IX, sed ex eis causis, quas Columella affert ad prata commendanda, nulla in illo capite invenitur. Quare aut dicendum est, Columellam has causas de suo addidisse easque, ut egit rem suam summa neglegentia, Catoni vindicasse aut Columellam in illo capite plura invenisse quam nos hodie.

Illud Klotzius censet (qui cum hoc loco coniungit Col. II, 7, 2, et r. r. 34 confert) hoc Keil. obs. crit. p. 76.

Certum iudicium proferri non audeo, quamquam negari non potest, caput 9 libri de agricultura valde ieiunum esse, ita ut facile aliquid excidisse possit, praesertim cum viderimus, caput sine dubio corruptum et mutilatum esse.

Catonis nomen non nominatum est Col. II, 21, 3: feriis autem ritus maiorum etiam illa permittit, far pinsere — fossas veteres tergere, prata sicilire. ubi tamen excerpta esse videtur r. r. 2, 4.

Colum. II, 21, 5: M. Porcius Cato mulis equis asinis nullas esse ferias dixit idemque boves permittit coniungere lignorum et frumentorum advehendorum causa. cf. r. r. 138. III, 2, 31: sed illud in totum praecipere, quod et Celsus ait et ante eum M. Cato, nullum genus vitium conserendum esse nisi fama, nullum diutius conservandum nisi experimento probatum. Klotzius citat r. r. VI, 1, ubi de vitibus nihil simile dicitur, Keilius p. 76 hoc quoque in libro de agricultura excidisse censet. Sed ne hic quidem certum iudicium ferri potest, nam praeceptum facile desumptum esse potest ex praeceptis ad filium, praesertim cum hic liber simillimus fuerit Celsi libro, quem Columella priore loco posuit et et sine dubio exscripsit. Praeterea Cato VI, 1 simile dicit de oleis, ita ut Columellam memoria fefellisse et ad oleas retulisse videatur, quod ad vites pertinet. Denique Columella male meminisse potuit ea, quae in cap. VI, 4. continentur. uno verbo, res tam incerta est, ut ex hoc loco nihil concludi possit de Catonis libri forma. Mihi quidem comparata Servii explicatione ad Verg. Geo. II, 95. Raeticam uvam cet. effici videtur, Columellam hic

praeceptis ad filium usum esse, nam locus citatus satis ostendit Catonem ibi de fama vitium verba fecisse.

Columella III, 3, 2: Atque ut omittam veterem illam felicitatem arvorum, quibus et ante iam M. Cato et mox Terentius Varro prodidit singula iugera vinearum sexcenas urnas vini praebuisse. hoc desumptum esse ex originibus ostendit Varro I, 2, 7. Monet nos, ne quid in libro de agricultura excidisse statim dicamus, cum verba a Columella citata ibi non inveniuntur. cf. Col. III, 9, 3.

Col. IV, 11, 1. Hoc facere sive viveradicem sive maleolum conseveris censeo; nam illam veterem opinionem damnavit usus non esse ferro tangendos anniculos malleolos, quoniam reformident. quod frustra Vergilius et Saserna Stolonesque et Catones timuerunt cet. cf. Cato r. r. 33, 2. Verg. Geo. II, 362. Varro I, 31 cf. Schneider II, 2 p. 195.

Columella VI, praef. 4: ut etiam M. Cato prodidit, qui consulenti, quam partem rei rusticae exercendo celeriter locupletari posset, respondit, si bene pasceret rursusque interroganti, quid deinde faciendo satis uberes fructus praecepturus esset? affirmavit, si mediocriter pasceret. Caeterum de tam sapiente viro piget dicere, quod eum quidam auctores memorant eidem quaerenti, quodnam tertium in agricolatione quaestuosum esset, asseverasse, si quis vel male pasceret. Haec verba dictum Catonianum esse sententiarum nexus ostendit et confirmatur loco Ciceronis off. XI, 25, 89 cf. Plin. XVIII, 5, Schneider II, 2. p. 309. Jordan p. 108.

Colum. XI, 1, 4: cum etiam de patre familia prisci moris exemplum Cato dixerit, male agitur cum domino, quem villicus docet cf. quae supra disputavimus. cf. r. r. 5, 2: ne plus censeat vilicus sapere se quam dominum. Colum. XI,

1, 26: nam illud verum est M. Catonis oraculum, nihil agendo homines male agere discunt. unde hoc desumptum sit dicere nequeo. in l. d. a. non extat. Columella XII, 52, 19: ait enim (Cato) in tabulato corrugari olivam minoremque fieri. Quae sequuntur, a Columella addita sunt. cf. r. r. 64, 1,

XII, 52, 20: Sed et Cato dixit: et sic quidem quicquam ponderis aut mensurae oleo accedit, si portiones velis in factum adiectae bacae computare (non proventum, sed detrimentum senties).

Hic quoque Columella cogitasse videtur de capp. 64 et 65, sed non omnia, quae dicit, apud Catonem extant, neque tamen hic quidquam certi asseverari potest. Schneider II, 2 p. 664. I, 2, 130. Eis locis, quos Keilius praeterea in editione ex Columella citavit, Cato non nominatur, quamquam nonnullis Columella ad librum eius respexisse videtur.

cf. r. r. 70 = Col. VI, 4.
83 = XI, 2, 29.
96 = VII, 4, 7.
103 = VI, 4, 4.

Quae igitur e Columella concludi possunt, plane consentiunt cum eis, quae supra de Plinio diximus.

Nec mea sententia statui potest, Catonem post Plinium Columellam Gellium gravius interpolatum esse quam eo modo, quem Keilius p. 51 sequ. significavit, quia sine dubio futurum esset, ut interpolationes ab scriptoribus posterioris temporis suo ingenio factae statim cognoscerentur, interpolationes vero ita factae, ut ex aliis scriptoribus rei rusticae capita desumpta in Catonem insererentur, ea de causa veridissimiles sunt, quia veterum scriptorum libri post Plinium, Columellam,

Gellium periisse videntur, cum horum operibus, quae omnia continerent, supervacanei facti essent.

Quae sententia nostra non refellitur perpaucis reliquis locis scriptorum Latinorum maxime post Plinium florentium, quibus Catonis liber de agricultura citatur.

Apud Festum Catonis de agricultura liber nunquam citatur, sed fortasse ad eum referendum est, quod dicit de dape: ·daps apud antiquos dicebatur res diviua, quae fiebat aut hiberna semente aut verna et p. 51 M. culigna vas potorium. Cato, culignam, inquit, in foeno graeco ponit, ut bene oleat, quae verba quamquam in libro de agricultura non inveniuntur, tamen simillima eis sunt, quae in novissima libri parte composuit.

In tot grammaticorum latinorum voluminibus Keilii editionis Catonis de agricultura liber non citatur nisi

a Diomede 368, 26: est tamen apud veteres veneor et venditus sum et apud Plautum ‚ego illi veneor'. tyrannus de agricultura primo ‚patrem familias vendacem magis quam emacem expedit esse, nam id melius emitur quam venitur' tyrannus ABM. Tirianus ed princ. Titianus etiam S. Cato etiam ed. Asiens. a. 1516. cf. Cato de agr. 2. Titiani nomen post Lachmannum l. c. defendit F. Haasius in Gregor. Turan. de cursu stell. Vratisl. a. 1853 p. 37. fortasse Turranius cf. Varro r. r. II praef. 6. Plin. n. h. III, 1, 3. cf. Keil. l. c.

Ad cap. 103 fortasse respicit Charis p. 217, 14. rarenter Cato ut idem Maximus notat pro raro.

In reliquis voluminibus Catonis liber de agricultura non citatur.

Nonium Varrone usum esse iam supra vidimus. Plinius Valerianus, quem Plinium excerpsisse scimus, de re med. IV, 29. cf. Schneider p. 202.

Macer de virt. herb. I, 4: IV, 29 cf. Schneider p. 206.

Serv. ad Aen. VII, 539: Et terram ventum vertebat aratris: duo dixit a Catone memorata, qui interrogatus: qui esset pater familias, respondit: eum qui bene pascit et bene arat. Verborum nexus ostendit, haec e libro de agr. desumpta non esse.

Restant duo Macrobii loci. lib. VI. cap. 4, 16: hoc verbum de pino tempestiva a Catone sumpsit, qui ait: Pineam nuceam cum effodies, luna decrescente eximito, post meridiem sine vento austro. tum vero erit tempestiva, cum semen suum maturum erit vide cap. 31, in quo vetusta et recentiora commixta esse postea ostendemus. Vides igitur Macrobium quoque forma contaminata libri de agr. usum esse, sed constat illum nomina auctorum, quibus usus est, celare, auctores vetustos contra afferre, qui apud illos nominantur. Quare quin hoc loco Plinium XVI, 193 exscripserit non dubito. Idem dicendum est de Macrob. VII, 6: ut mala seu simplicia seu cytonia, quae cotonia vocat Cato.

Pars V,

De libri de agricultura genuina forma.

Iam igitur in eo est, ut ea, quae ex prioribus capitibus efficiuntur, colligamus formamque genuinam libri de agricultura constituamus. Certum ordinem huic libro de agricultura fuisse ut per se verisimile est, ita vel hoc perturbatissimo libri ordine probari recte Keilius p. 69 sequ. dicit. Accedit, quod Cato in capite 33, ubi ad sementem, quae iam antea tractata erat, redit, expressis verbis dicit ‚redeo ad sementim'. Cum igitur veniam quasi petendam esse putaverit, quod rerum continuationem interrupit, credibile non est, illum reliqua sine ordine ae ratione protulisse. Ac primum quidem quae in praedio instruendo sequenda sint, praecipi inde a cap. 1—22 recte Keilius annotat. Iam supra vidimus sermonis rationem capitum 1—5 graviores dubitationes non movere, nam coniunctivi, quia de tertia persona verba fiunt, suspiciosi non sunt, quare Catoni abiudicanda esse non videntur. Accedit, quod extremum I caput per Varronem confirmatur. Sed nescio, an inde a paragrapho 6 capitis 5 novum caput incipiendum sit, ita ut reliqua non iam vilico, sed domino imperentur. Coniunctivis et imperativis velut cave, face, stude verisimile fieri hoc caput ex recentiore forma desumptum esse iam supra annotavimus nec dubito, quin ante verba „aratra vomeresque facito uti bonos habeas" inserendum sit caput 62, quod loco plane inepto legitur, si quidem Catonis est. Mihi hoc caput ab alio additum esse videtur. Atque in capite 142 denuo breviter vilici, deinde vilicae officia

exponuntur. Hoc eidem scriptori tribui non posse Keilius recte dicit. Accedit, quod multum interest inter sermonem capitis 5 et 142, nam in capite 5 omnia brevissime et concinne praecipiuntur, in capite 142 enuntiatum politissimum, Cicerone paene dignum, habemus. Caput 143 fuisse in genuino Catonis libro eo Plinii loco, quem supra ad caput 51 attulimus, verisimile fit, sed sine dubio id, quod nos habemus, desumptum est ex forma recentiore.

Invenimus enim in capite 143 mala strutea et uvas in vinaceis condendas, de quibus ad capp. 133 et 7 verba fecimus. Nec caput 143 seiungi potest a capite superiore, quod recentiorem colorem habere primo obtutu elucet. Quare non dubito, quin cap. 143 inserendum sit post V, 5.

His praeceptis in universum praemissis Cato transit ad agrorum habitum. Iam vidimus cap. VI per Varronem confirmari, sed ex illo ipso effici compluribus locis interpolatum esse, quod per illum factum esse necesse est, qui librum contaminavit. Idem dicendum est de cap. 7 eisque interpolationibus, quas iam investigavimus, novas adiungamus. In capp. 51, 51., cuius recentiorem formam esse caput 133 ostendere conati sumus, simpliciter murtus nominatur, in capite 133 tria genera, quae accuratior distinctio, num Catonis aetate iam facta fuerit, valde dubito, quare is, qui librum contaminavit, in capite 8 ex altera recensione ‚coniugulum et album et nigrum' inseruisse videtur; idem dicendum est de malis struteis 7, 3 cf. 51 et 133, 2; idem de lauro cypria et delphica cf. 51 et 133, idem de nucibus calvis et abellanis cf. 51 et 133, de Graecis dubito. Non dubito, quin caput 7, 8 usque ad verba ‚ea in loco crassiore aut stercorato serito' genuina verba Catonis praebeant, sed ab eo, qui librum contaminavit, interpolata, quin vero

ea, quae deinde subsequuntur, desumpta sint ex recentiore forma. Caput 9 valde mutilatum esse iam supra vidimus et fortasse hoc caput prius plenius fuisse ex Columellae verbis, quae supra posuimus, concludi licet.

capita X—XIX, ut quae difficillima essent ad mutandum, interpolata esse non videntur, nisi quod nescio, quid X, 4 sibi velint in oleto ‚dolia quo vinaceos condat X', quare eicienda esse mihi videntur, et initium capitis XI ab eo, qui librum contaminavit, ex recentiore forma gravius interpolatum esse Varronis comparatione effici iam supra vidimus. Nec ordo proximorum capitum perturbatus esse videtur. Keilius quidem p. 72 censet, quae de torcularis praecipiuntur c. 12, 13 et 18, 22 aliis praeceptis de villa aedificanda, quae ante haec rectius collocarentur, interpositis male distracta esse, sed iniuria. Nam primum ea enumerantur, quae ad vineam oletum, torcularium, cellam oleariam instruendam opus sunt, deinde demum ad villam et torcularium aedificanda transitur. in capite 14 verba ‚orbem, ahena II,' interpolata sunt, quae instrumenta quomodo a fabro fieri possint, equidem non intellego.

Atque quid in his praeceptis de aedificanda villa sibi velit caput XVII, in quo, quando materies matura sit, exponitur, equidem nescio, cum neque cum prioribus neque cum eis, quae sequuntur, ullo modo cohaereat. Non dubito, quin eiciendum et capiti XVI subiungendum sit caput XVIII. de capite 20 iam supra dictum est. Certe aeque ac caput 21 et 22 recte se habet nec in capite 22, 3 offendendum est, nam velut in capite 14 hic quoque, quantus sumptus sit, additur.

Recte Keilius dicit, deinde praecipi, quae per singula anni tempora fieri oporteat inde a capite 23—54, sed horum ordo valde perturbatus est. Ac primum qui-

dem ab autumno incipiente narratione de vindemia facienda verba fiunt. Iam vidimus initium capitis 23 praebere recentiorem formam eorum, quae Cato scripsit, hoc igitur is, qui librum contaminavit, ex illa desumpsit. Deinde verba ‚quom pluet — salliantur' eicienda sunt et inserendum est caput 39 inde a ‚dolia plumbi vincito' usque ad verba ‚eum conterito idque inducito', deinde subiungendum est reliquum caput 23. Hunc ordinem etiamtum Plinius legisse videtur, quamquam certo asseverari non potest. Quod si verum est, haec perturbatio post illius demum tempora ingruit. caput 24 suo loco non extat, immo cum eis coniungendum est, quae inde a capite 105 leguntur. Caput 26 et ipsum ex recentiore forma desumptum esse supra vidimus. Neque initium usque ad verba „suo quidquid loco condi" huc quadrat. Ea, quae sequuntur, suo loco extant, sed genuina Catonis verba servata sunt in capitibus 152 et 153, quae hic inserenda sunt. Transit scriptor ad pabulum, ad arbores serendas in capp. 27 et 28, novissimi capitis 27 novam formam habes in capite 61, capitis 28 ibidem.

Deinde in capite 29 de stercoratione segetis, in capite 30 de pabulo boum et ovium agitur, quae et ipsa ad autumnum pertinent.

Subiunguntur praecepta de olea legenda, quam in Italia mense Ianuario legi constat, unde cognoscitur, quam accurate scriptor certum ordinem observaverit. Ac primum quidem sequebatur in Catonis genuino libro mea sententia caput 31 usque ad verba ‚fibulas facito', ita tamen, ut ea verba, quae nos habemus, ex recentiore forma desumpta sint, quod supra ostendimus. Proxima verba nullo modo cum olea legenda cohaerere quis est quin videat? Immo statim addenda sunt capita 69 (cuius caput 100 esse recentiorem formam iam vidimus),

caput 64, 65, 66, 67, 68, cuius recentiorem formam indicant verba priora capitis 26: vindemia facta vasa torcula, corbulas — suo quidque loco condi'. Sequuntur meo iudicio capita 32 et 33, ita quidem, ut caput 32 desumptum sit ex recentiore forma, caput 33 ex vetustiore. Atque in genuino libro primum actum erat de arboribus putandis, deinde de vinea curanda, quae duo capita in unum 32 contracta sunt in recentiore forma. Ei, qui librum contaminavit, quae de arboribus praecipiuntur in capite 32, satis esse videbantur, quae de vineis, ieiuniora, quare primum ex recentiore forma caput 32 desumpsit, deinde huic caput 33 adiunxit. Vetusti capitis 32 haec verba indicant argumentum: arbores mature face incipias putare. arbores hoc modo putentur, rami uti divaricentur, quos relinques, et uti recte caedantur et ne nimium crebri relinquantur. arbores facito uti bene maritae sint.

Deinde revocatur oratio ad sementim et excipiunt priora capita 34, 35, 36, 37. De ordine horum capitum iam supra dictum est, item verba ‚amurcam — prius non alte' recentiorem formam capitis 93 indicare iam expositum est. Vide, quomodo is, qui hunc librum contaminavit, quae cohaerere videbantur, ex utraque recensione coniunxerit.

Tum in genuino Catonis libro sine dubio ea praecepta sequebantur, quae in capite 17. 23 (quom pluet, quala parentur, sarciantur, far molatur, menae emantur, oleae caducae salliantur). 37, 3. 39 continentur. Ac primum quidem, ut priora verba, ita extremum quoque caput 31 desumptum est ex recentiore forma libri de agricultura, quare cum nihil contineat nisi lacinias capitis 17 et 37, 3, missum faciamus.

Reliqua vero ita constituenda sunt, ut eis, quae ad-

huc posuimus, adiungatur caput 37, 3 usque ad verba ‚nisi siccam neu gelidam neu rorulentam'. Deinde sequebatur paragraphi 5 argumentum, nam quae nos habemus verba, ex recentiore forma desumpta esse satis ostendisse nobis videmur. Genuini capitis laciniae supersunt in capite 55, quod loco plane inepto extat. Ac quia antea de materie verba facta erant, Catoni occasio data erat de materiae maturitate agendi, quare recte caput 17 hic inseritur. Quid vero fornax calcaria in hoc verborum nexu sibi velit, equidem nescio. Desideratur commemoratio eius ante caput XVI nec dubito, quin caput 38 usque ad verba ‚et flamma minus fumosa exibit' ibi collocandum sit, huc vero falso translatum propter calcis commemorationem in proximis verbis. Quae restant verba accommodatissima sunt ad ea, quae capite 37 continentur. Nec dubito, quin hic inserendum sit caput 155, quod plane cum reliquis, quae de hieme dicuntur, consentit. Tempestatibus malis sua tribuuntur in capitis 39 verbis ‚ubi — purgato' et ‚per imbrem — sumptum futurum', reliqua huc non quadrare supra vidimus, sed fortasse indicant verba ‚quom — cap. 23 salliantur', quae ex recentiore forma desumpta esse supra ostendimus, hoc caput quondam plus continuisse, quod idem verisimile fit comparatis eis, quae in capite II, 3 vilico imperantur.

Deinde transit scriptor ad ea praecipienda, quae vere fieri oportet. Suspicionem movent neque argumentum neque ordo capitum 40, 41, 42, 43, 44. Sed in capite 45 verba ‚eas sic inserito — cum adiges' recentiorem formam indicare eorum, quae in capite 46 praecipiuntur, supra demonstratum est. Is igitur, qui librum contaminavit, ex recentiore forma haec verba verbis ‚pedalis facito' adiunxit, fortasse quia paullo aliter comparata sunt, nam additur ‚ne librum scindas, cum adiges'.

verba capitis 47, harundinem sic serito: ternos pede oculos disponito' eicienda esse iam argumentis confirmatum est. Sequitur caput 47, 48, quocum coniungendum est caput 151, de quibus quid iudicandum sit, iam vidimus, deinde caput 49, post caput 50, in quo verba ‚ubi vineam deputaveris, acervum lignorum virgarumque facito' interpolata esse mihi videntur, cum iam supra extent. Extremi capitis vero formam recentiorem praebere caput 131 iam supra argumentis probavimus. Unum addamus. Catoni, quippe cuius temporibus etiamtum unusquisque fere Romanus agriculturae operam daret, tempus non erat indicandum, quo daps pro bubus facienda esset, posterioribus autem temporibus, cum agricultura magis neglegeretur, qui librum accommodavit, ei accurate dicendum erat ‚piro florente dapem pro bubus facito'. Statim subiungenda est ea formula, quam de dape facienda continet caput 132, et deinde capita 51 et 52, quorum caput 133 praebet formam recentiorem, caput 53. Sequitur altera pars, quae, ut Keilius recte dicit, leges domesticas patri familias maxime utiles continet. Ne in hac quidem certum ordinem desiderari disputo; adiungenda enim sunt capita 54, 56, 57, 58, 59, 60, quae ea, quae boum et familiae causa paranda sint, continent. cf. Keilium p. 71. Atque caput 60 statim excipere oportet caput 70, nam capita 64, 65, 66, 67, 68, 69, ubi collocanda sint, iam vidimus, item caput 62 et caput 61, 2, item caput 63, quod sine dubio coniungendum est cum capite 135. Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin ne caput 61, 1 quidem, quod recentiorem manum indicare iam vidimus, suo loco extet. Ac videntur mihi ea, quae in capite 61, 1 continentur, subsecuta esse caput 50, 2 et boum medicamentis, de quibus agitur in capitibus 70, 71, 72, 73,

male disiunctum esse caput 102, in quo de bove ab angue morso praecipitur. Item mihi hic addendum esse videtur caput 83, quod est de voto pro bubus faciendo, quamquam aliam scntentiam Keilius profert p. 73. Tum inde a capite 74 usque ad caput 87 de placentis praecipitur, in quibus caput 86 aut ex recentiore forma desumptum aut postea additum esse sermo ostendit. Sequuntur in capitibus 88, 89, 90 varia praecepta de sale candido faciendo, de gallinis et anseribus farciendis, de palumbo recenti farciendo. In proximis capitibus cum omnibus amurcae usus exponatur, certum ordinem non desiderari elucet. Sequitur ergo caput 91, cui adiungas caput 129, de quo supra verba fecimus, caput 92 et 128, vide, quae supra commentati sumus, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 101, 103. Ac ne in his quidem accuratior ordo desideratur, nam coniunguntur, quae ad frumentum 91, 92, quae ad morbos arborum pertinent 93, 94, 95, deinde quae ad morbos bestiarum 96, denique quae ad res domesticas et ad fructus condiendos caput 97, 98, 99, 100, 101, 103. Efficitur hunc solum ordinem Catoni tribuendum esse neque eum, quem supra in Plinio invenimus, qui omnia commiscet et perturbat. Deinde nova series praeceptorum exorditur de vinis concinnandis. Ac primum quidem hic sine dubio inserendum est caput 24, de quo iam dictum est, deinde subiungenda capita 105, 106, 107, 108, 109, 110 (hic scribendum esse mihi videtur ‚odorem deteriorem si voles demere de vino cet.) 111, 112, 113. Capita 114 et 115, 2 iterum coniungenda esse, ita ut illud ex vetustiore, hoc ex recentiore forma desumptum sit, iam supra vidimus. Is, qui librum contaminavit, sine dubio iterum utramque formam posuit, quia singulae intercedunt discrepantiae inter caput 114 et 115. Idem dicendum est de eis capitibus, quae de

area facienda et granario delutando agunt. His statim adiungenda sunt capita 122, 123 (124 interpolatum esse supra vidimus) 125, 126, 127. Atque in capitibus 122 et 123 iterum duas formas, recentiorem et vetustiorem, servatas esse primo obtutu elucet. Nec dubium esse potest, quin caput 123 vetustius sit, confer titulum ‚vinum ad isciacos sic facito', cum alterius capitis; infinitivum recentioris formae esse iam saepius vidimus; adde, quae diximus de praepositione de et antiqua constructione ‚concidito minutim. eam infervefacito cet.' Iterum is, qui librum contaminavit, utrumque caput posuit, quia graviores discrepantiae intercedunt. Idem dicendum est de capitibus 126 et 127, quae et ipsa duas formas libri de agricultura indicant. Caput 126 vetustum, caput 127 recentius est; conferas quaeso iterum inscriptionem ‚ad dyspepsiam et stranguriam mederi', quae morborum nomina Graeca non magis accommodata esse mihi videntur Catoni quam Graeca pondera, tris minas, drachmam, triobolum cet. Inspicias quaeso frgg. p. 77, 1 sequ., ut cognoscas hoc caput a Catone scriptum esse non posse. Ea praecepta, quae capitibus 116, 117, 118, 119, 120, 121 continentur, seiungenda esse a praeceptis de vino concinnando iam Keilius vidit, sed ubi inserenda sint, equidem nescio. Suspicor aut coniungenda esse cum capitibus 88, 89, 99 aut cum his ponenda post caput 127.

Nec dubito, quin in his quoque caput 117 et 118 eandem rem contineant. Nam caput 117 ex recentiore forma desumptum esse supra ostendimus, cui adiunxit is, qui hunc librum contaminavit, caput 118, quia priora cum capite 117 non consentiunt, reliqua vero, quae illi respondebant, omisit, quod valde dolendum est. Quod vero caput 134 coniunctum est cum capitibus 131, 132, 133, in quibus rectum ordinem servatum esse supra vidi-

mus, documento esse mihi videtur, hoc caput supra inserendum esse post caput 52. Ita enim, quae per totum annum facienda sint, continuantur, incipitur a vindemia, i. e. a mense Octobri et concluditur tota enumeratio messe frumenti et foeni, i. e. mense Iunio et Iulio.

Nec in reliquis capitibus certus ordo desideratur; ea enim, quae adhuc enumeravimus, excipiunt complura capita, quibus certae leges, quae in emendis et locandis diversis rebus observandae sint, continentur. quare coniungenda esse videntur capita 135 (adde caput 63, quod formam alteram praebet) 136, 137, 144, 145, 146, 147, 148, 149, 150, 154; quae sequuntur capita, rerum sacrarum praecepta continent 138, 139, 140, 141.

Denique restant capita 156, 157 de brassicae viribus, caput 158 de alvo deicienda, caput 161 de asparago et caput 162 de salsura pernarum, nam capita 159 et 160 interpolata esse neque Catonis iam supra ostendere conati sumus. Caput 162 ne Plinius quidem in extremo libro legit neque dubito, quin cum eis praeceptis, quae in capitibus 88, 89, 90, 116, 117, 118, 119, 120, 121 leguntur, coniungendum sit. Ea vero capita, in quibus de brassica agitur, cum reliquis, quae medicamina ad alvum movendam continent, coniungenda esse certum videtur. Recte Keilius dicit in capite 157 brassicae praecepta ita explicata esse, quasi nihil de ea ante dictum esset, quamquam in eo capite, quod antecedit, copiose eadem res tractata erat. Hoc ita tantum explicare possumus, ut is, qui librum contaminavit, ex utraque recensione et vetusta et recentiore praecepta de brassica desumpserit, quod saepis factum esse satis iam cognovimus. Et iterum utrumque caput repetivit, quia capita ipsa valde inter se distare elucet, Neque tamen vehementer sermo mutatus est, sed eadem ratio intercedit inter capita 156

et 157, quae inter capita 51 et 52 atque 133. Quare quae Catonis sint, quae non sint, diiudicari vix potest. Ac primum quidem hoc asseverari posse videtur, ab initio capitis genuini similiter atque in capite 157 actum esse de generibus brassicae. Efficitur hoc ex paragrapho altera: ‚sumito brassicae quae levissima erit P. III'. Deinde quae continentur paragrapho prima capitis 156, confirmantur Varronis loco, quem supra attulimus, sed iam vidimus, ex Varrone verba Catonis interpolata esse verisimile fieri, quare haec ex forma recentiore desumpta esse videntur. Reliqua vero, ut iam diximus, difficiliora et perturbatiora sunt quam ut de eis iudicium proferre audeamus, cum omnino non iam explicari posse persuasum habeamus.

In capite 158 notandi sunt permulti infinitivi praesentis, quibus ex forma recentiore desumptum esse confirmatur, si quidem Catonis est, quod valde dubium esse mihi videtur.

Restat igitur caput 161, quod in Plinii libro novissimum fuisse supra vidimus. eundem locum num in Catonis genuino libro obtinuerit, valde dubito, cum eam causam, quam Plinius affert, nihili esse appareat. Ac nescio an additum sit hoc caput et ipsum ex forma recentiore, quoniam in illo genuini Catonis sermone quaedam interiisse indicat vocabulum subigere et imperativus in extremo capite ‚fac ingeras'. Inserendum autem mihi videtur esse hoc caput post caput 48, quo optime quadrat.

Hunc ordinem nostra quidem sententia Cato in conscribendo libro suo secutus est. Licet interdum falsi simus, id ostendisse nobis videmur certum fuisse ordinem in libro de agricultura, qui solus tanti viri ingenio convenit. Totius igitur libri de agricultura dispositionem breviter repetamus, Keilii saepius verbis usi.

pars I: de praedio instruendo praecepta.

capp. 1—4. 5, 1—5. 5, 6. 62. 6. 7. 8. 9 (adde verba cap. VIII, pratum si inrigivum — summittito) 10. 11 (initium interpolatum) 12. 13. 14. 15. 38 usque ad verba „fumosa exibit". 16. 18—22.

pars II: Quae sint per singula tempora anni facienda.

23, 1 usque ad ‚picentur' (forma recentior) cap. 39 inde a ‚dolia plumbo vincito' usque ad verba ‚eum conterito idque inducito'. capitis 23 quod superest. 25, 152, 153. (recens forma cap. 26 inde a ‚dolia cum vino') 27 (61, 2 recentius) 28 (61, 2 recentius) 29, 30. 31, 1 usque ad ‚ex carpino atra potissimum facito'. 69 (100 recentius) 64. 65. 66. 67. 68 (adde initium capitis 26) 32 de arboribus putandis. 33. 34. 35. 36. 37, 1. 2. 37, 3 usque ad rorulentam (31 recentior forma) caput 17. capitis 37, 5 argumentum; genuini reliquiae cap. 55. 38, 4 inde a ‚si ligna'. 155. 39 ubi — purgato. 23 quam — salliantur. deinde 39 per imbrem — futurum. 40. 41. 42. 43. 44. 45: exceptis verbis: eas sic inserito — cum adiges'. 46. 47 inde a ‚vitiarium'. 48 (nova forma 151) 161. 49. 50 (recentior forma 131) 61, 1 argumentum. 132. 51. 52 (recentior forma 133) 134. 53.

pars III: quae boum et familiae causa paranda sint.

54. 56. 57. 58—60. 70—73. 102. 83.

pars IV: de placentis faciendis. 74—87 (86 dubium).

pars V varia praecepta. 88. 89. 90. 116. 117 et 118. 119. 120. 121. 162.

pars VI: de amurcae usu.

91 et 129. 92 et 128. 93—99. 101. 103.

pars VII: De vinis concinnandis medicaminibusque nonnullis.

24. 105—112. 113. 114 et 115, 2. 115, 1. 122 et 123. 125. 126 et 127. 156. 157. 158.

pars VIII: de locis, quibus, quae opus sunt ad agriculturam, emuntur, et de legibus politoris, partiarii cet.

135—137 (cum 135 coniungas cap. 63) 144—150. 154.

Deniquepars IX: de rerum sacrarum praeceptis.

138. 139. 140. 141.

Vita.

Natus sum Johannes Paulus Weise prid. Kal. Mai. 1861 in urbe Barmen patre Friderico Guilelmo, quem ante hos undeviginti annos morte mihi ereptum doleo, matre Emma e gente Kruse Stralsundiana, quam adhuc vivam colo. Addictus sum fidei evangelicae. Anno 1864 pater Cellam transmigravit, ubi usque ad annum vitae decimum in ludo literarum elementis imbutus anno 1871 in Gymnasium receptus sum Cellense. Anno 1880 maturitatis quod dicitur testimonio munitus in alma literarum sede Lipsiensi civibus academicis adscriptus rectore magnifico Ludovico Langio idemque in legionem, quae ibi stativa habet, ut stipendia mererer, receptus sum. Lipsiae per quattuor semestria interfui scholis virorum illustrissimorum Curtii, Ribbeckii, Lipsii, Brugmani, Zarnckii, aliorum, idem per tria semestria proseminarii regii, quod Lipsii auspiciis floret, et per unum semestre societatis Graecae Lipsii sodalis. Gottingam deinde profectus per tria semestria frequentavi scholas virr. ill. Sauppii, Diltheyi, Muelleri, Volquardseni, Baumanni, per idem tempus seminarii regii philologorum et per duo semestria societatis Germanicae Muelleri sodalis ordinarius. Omnibus his viris gratias habeo quam maximas.

Tum per unum annum in vico Uchte praeceptoris domestici munere functus examine pro facultate docendi superato in gymnasio Hamburgensi quod appellatur Johanneum factus sum candidatus probandus.

JUL 2 0 54 H

Lc 26.80
Quaestionum catonianarum capita V.
Widener Library 007142499
3 2044 085 188 225